De

PRAEPOSITIONIS „AD"

USU TACITEO.

Dissertatio Inauguralis

quam

auctoritate atque consensu amplissimi philosophorum ordinis
academiae Georgiae Augustae ad summos in philosophia
honores capessendos

scripsit

Hermannus C. Maué
Moenofrancofurtanus.

Moenofrancofurti.
Typis expresserunt Mahlau & Waldschmidt.
MDCCCLXX.

1873, Jan. 23.
Subscription Fund.

PARENTIBUS CARISSIMIS.

INDEX.

pag.

Prooemium . . . . 1 — 3.

A. „Ad“ sensu locali positum . . . . 4 — 32.

a. de directione ad rem versus dicitur . . . . 4 — 8.

b. de perveniendo ad rem dicitur . . . . 8 — 29.

I. ex verbis praepositio pendet, quae sunt . . . . . 9 — 24.

1. eundi . . . . 9 — 18.
2. mittendi, ducendi, ferrendi . . . . 18 — 23.
3. vocandi, ciendi, invitandi . . . . 23 — 24.

II. ex adiectivis substantivisque praepositio pendet . . 24 — 25.

III. „ad“ pro praepp. „contra“ vel „adversus“ positum esse videtur . . . . 25 — 27.

IV. „ad“ pro praep. „usque ad“ positum esse videtur . . 27 — 28.

V. „ad“ de remanendo in vicinitate alicuius rei dicitur . 28 — 29.

c. „ad“ pro praepositione „apud“ substituitur . . . . . . 29 — 31.

d. „ad“ omittitur . . . . 31 — 32.

B. „Ad“ sensu temporali positum . . . . 33 — 37.

a. de directione ad tempus versus dicitur . . . . 33 — 34.

b. de perveniendo ad tempus dicitur . . . . 34 — 37.

C. „Ad“ sensu translaticio positum . . . . 37 — 70.

I. de directione ad rem versus dicitur . . . . 37 — 58.

1. „ad“ de accedendo ad numerum . . . . 37.
2. „ad“ pendet ex adiectivo „intentus“ . . . . 38.
3. „ad“ significat inclinationem . . . . 38 — 40.

a. cum ex verbis . . . . 38.

b. cum ex adiectivis pendeat . . . . 38 — 40.

4. „ad“ de permovendo ad aliquid dicitur . . . . . . 40 — 44.
5. de loco A. XVI, 23, 9 . . . . 44.
6. „ad“ finali sensu usurpatur . . . . 44 — 58.

a. ad praepositionem simplex substantivum accedit, cum praep. pendeat . . . . 45 — 52.

α. ex verbis . . . . 45 — 51.

β. ex adiectivis participiisque . . . . 51.

γ. ex substantivis . . . . 51 — 52.

pag.

b. ad praepositionem gerundium verbi pertinet . . . 52—53.
 α. cum praepositio ex verbis . . . . 52—53.
 β. ex adiectivis participiisque . . . . 53.
 γ. ex substantivis pendeat . . . . 53.
c. ad praepositionem pertinet gerundivum . . . . . 53—58.
 α. cum praepositio ex verbis . . . . 54—57.
  1. eundi . . . . 54.
  2. mittendi, ducendi, ferendi . . . . 54—55.
  3. eligendi et deligendi . . . . 55—56.
  4. dandi . . . . 56.
  5. variae significationis . . . . 56—57.
 β. ex adiectivis participiisque . . . . 57.
 γ. ex substantivis pendeat . . . . 57—58.

II. de perveniendo usque ad finem usurpatur . . . . 58—70.
a. „ad“ de perveniendo ad certum finem . . . . . . 58—61.
 1. cum ex verbis properandi, erumpendi, all. pendeat . 58—60.
 2. cum praepositio transitum in novum statum indicet 60.
 3. cum praepositio gradum significet . . . . 60—61.
b. „ad“ rem ad aliam pertinere indicat . . . . 61—64.
 1. de addendo ad rem dicitur . . . . 61—62.
 2. rem cum alia in communitate esse . . . . . . 62.
 3. rem ad aliam referri significat . . . . 62—63.
 4. „ad“ pro „in Bezug auf“ . . . . 63—64.
c. „ad“ pro praep. „secundum“ ponitur . . . . 64—66.
d. de causali vi praepositionis . . . . 67—68.
e. praepositio pendet ex verbis ferendi all. . . . . 69—70.
f. de formulis praepositione „ad“ compositis . . . . . 70.

De collocatione praepositionis supplementum . . . . . . 70—72.

Opus esse non videtur, ut pluribus verbis exponam, qui fructus ex eius modi quaestionibus, qualem hanc institui oculisque iudicantium propono, hauriri possint, postquam Wölfflinus in Philologi tom. XXV et XXVII compluribus locis et Greefius in libello suo: de praepositionum usu apud Tacitum, spec. I, in Prooemio p. 3 et 4 de hac re disseruerunt. Duo vel maxime sunt, quae accurate pervestigandis scriptis Taciteis efficiuntur: primum, quod falsam esse illam opinionem cognoscitur, qua omni libidini atque insolentiae in sermone suo indulsisse Tacitum putatur, deinde autem, quod diversum esse in scriptis ipsum sermonem pro temporibus, quibus quodque compositum sit. Hanc ad emendanda verba scriptoris gravissimam observationem Wölfflino, qui primus in Philologi tom. XXV, XXVI, XXVII demonstravit, debemus.

Itaque usum praepositionum tractandum mihi proposui, in quo Tacitum multas habere proprietates, quae accuratiore observatione digna sint, Greefius Prooemio suo satis illustrasse mihi videtur. Qui cum de praepositionibus «apud» et «adversus» accurate quaesiverit, mihi de praepositione «ad» scribere consilium est, cui propter frequentissimum usum reliquas adiungere non potui, nisi modum dissertationis egredi volebam. Nam nihil eo profici mihi videbatur, si obiter tantum et non tractatis omnibus exemplis de ratione, qua Tacitus praepositionibus usus sit, agerem, cum verum intellegerem esse illud dictum Wölfflini: das vollständigste ist das kürzeste, etwa wie das theuerste das billigste. Quo simul excusatio quaedam continetur, si quis magnam exemplorum copiam reprehendat, qua oratio ipso iam argumento ieiuna atque arida multo molestior reddatur eorumque qui legant taedium moveat. Hoc opprobrium, cum verum quidem sit, vix vitari potest, si eum fructum libello consequi volumus, quem adpetimus.

Cum in animo non sit, ut de origine voculae, quae est «ad», disputem, hoc statim loco profiteri liceat, quam rationem secutus sim in distinguendis variis generibus, quibus Tacitus ea praepositione usus sit. Omnium praepositionum constat esse primam significationem localem, itaque exempla, quae huc pertinent, primo loco ponenda existimavi, secundo autem, cum artissima adfinitate coniungantur locus et tempus, ea collocavi, ubi «ad» accedat ad vocabula, quae temporis notionem exprimant. Tertium denique genus efficiunt loci, quibus translata vi praepositio posita sit. Sed ne distraham locos, ubi «ad» cum eodem vocabulo coniunctum de adpropinquando vel perveniendo et ad locum et levi translatione ad rem abstractam scriptum sit,[1]) semper locos ita comparatos, cum prima significatio de loco desumpta potior esset, in primo genere contuli; cum autem de significatione movendi ad locum vel rem versus non amplius *cogitaretur* — quamquam etiam hic usus dicendi eandem originem trahit — aut cum localem quidem vim primum haberet vocabulum, ex quo praepositio penderet, a Tacito autem translata tantum vi usurparetur: non recepi, sed in tertium genus reieci. Quae iis, quae sequuntur inlustranda sunt. — Non ignoro, habere aliquid vituperationis, quod duobus generibus nonnulla distineantur, quae si recte facias, separari non possint, contra simul proferantur, quae sensu quodammodo diversa sint. Sed habet etiam suam excusationem, cum et nonnullis locis difficilius sit iudicare, qui sint fines inter significationem primam et translaticiam, et conlatis vocabulis, quibuscum «ad» diversa ratione coniunctum est, facilius intellegatur, qua ratione ab hac significatione mediis exemplis interpositis ad illam transitum sit.

In omnibus generibus duplex rursus usus distinguendus, quorum alter est, si «ad» non nisi directionem ad locum vel rem, alter ad finem usque directionis movendo finem versus perventum esse indicat. Atque priorem illum usum veram naturam praepositionis «ad» monstrare primariumque esse existimaverim:[2]) nam cum iam inde videre liceat hanc esse primam significationem,

---

[1]) e. c.: «conversus ad amicos loquitur» et «conversis ad civile bellum animis»; vel: «ire ad Hispanienses exercitus» et «ire ad bellum».

[2]) quod etiam linguarum inter se comparatione confirmatur; cf. Pottium in: Etymologische Forschungen auf dem Gebiete der Indogerman. Sprachen I, p. 275, et hanc diss. p. 4 in adn. 2.

quod omnino prius finem versus movetur quam ad finem pervenitur, praeterea eam rationem, qua ad finem directionis perveniri indicatur, abhorruisse primum ab indole praepositionis ex eo mihi apparere videtur, quod omnibus temporibus «ad» cum adverbio «usque» coniungitur, quo ad rem plane perveniri significetur. Adverbii enim notione, quae est «immerfort», efficitur, ut praepositionis vis, quae proprie est: «nach, gegen etwas hin», continuetur, qua continuatione usque ad rem ipsam perveniri per se patet. Igitur cum e. c. dicatur: «ad portam urbis usque ire,» intellegendum est: nach dem Thor der Stadt hin, und zwar immerfort, **bis** hin gehen. Tum autem «usque» plerumque omittebatur, aliis locis servabatur, ita tamen, ut, si logicam rationem respicimus, ne minima quidem causa esset, cur alio loco poneretur, alio omitteretur. Eo, quod nunc plerumque per anticipationem quandam anteposito adverbiö legitur: «usque ad,» nihil discriminis efficitur. [1])

Comparandi causa semper locos, in quibus praepositio «in» cum accusativo coniuncta a Tacito usurpatur, in margine adscripsi, et cum etiam hac in re omnia exempla colligere operam dedissem, ea tantum exclusi, in quibus ethica quaedam vis sive hostilis sive benevola praepositioni insit. Discrimen praepositionum loco illo ex Senecae epist. 73, 14 desumpto apertissime perspicitur: *deus ad homines venit*, *immo*, *quod propius est, in homines venit.* Itaque, ut in universum dicamus, «ad» exprimit vicinitatem, «in» proximam vicinitatem vel coniunctionem; «ad» magis personarum, «in» terrarum regionumque nominibus adiungitur. Attamen non raro altera praepositio alterius partes suscipit.

Sed haec hactenus: ad usum Taciteum pergere liceat.

---

[1]) Vix opus est, ut addam, in aliarum quoque praepositionum usu gravius momentum tribui posse illi notioni, quam «usque» habet, itaque etiam aliis praepositionibus «usque» adiungi posse, sed cum ad praepositionem «ad» adderetur, eum fuisse effectum, quem in mutata significatione cernimus. De «usque in» v. p. 28.

A. „Ad" sensu locali positum.

a. De directione ad rem versus dicitur.

Tacitus praepositione «ad» hac significatione, quam primam esse supra vidimus et cum verbis movendi et cum nominibus, quibus motus notio inest, coniuncta non raro usus est. Ita scripsit «**tendere** manum ad aliquid vel aliquem,» in A. l. I, c. 11, v. 14 (secundum editionem Halmianam): *ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere;* similiter in A. II, 29, 7 et XII, 65, 16, quibus cum locis comparanda sunt verba in A. II, 61, 1 *Germanicus aliis quoque miraculis intendit animum;* III, 24, 1 †[1]) *effectis in quae tetendi* (cf. p. 15). — Similiter in A. XIV, 30, 4 legitur: *sublatis ad caelum manibus;*[2]) A. I, 25, 4 *quotiens oculos ad multitudinem rettulerant.* Ad significandum terrae situm verbo **vergendi** praepositio additur in H. V, 6, 1 *Terra finesque, qua ad orientem vergunt, Arabia determinantur.* — In deliciis deinde

---

[1]) hac nota † indicatur, exemplum esse desumptum ex oratione recta, cum exemplum nota * munitum in oratione obliqua dictum sit.

[2]) In exemplis eius modi primariam significationem praepositionis perspicuam adhuc esse Pottius l. l. mihi persuasit, cum praepositiones **ad** et **de** ex eadem radice profectas esse contendat, ita ut **ad** proprie sit: ***«nach oben, überhaupt ein Hinwärts, de dagegen ein Von Obenher,*** *ein Herabwärts oder ein Woher im Allgemeinen.»* Ad sententiem suam confirmandam exempla attulit: ascendere, descendere; acclivis, declivis, manusque sursum ad coelum sustulit, quem usum poëtae in primis haberent. Quae adnotavi propter explicationem, quam Forcellinius in Lexico de praepositione protulit: volebat enim «ad» derivatum esse ex praepositione **apud** (apd, ad), quod si verum esset, aliter haec quaestio instituenda erat. Redeundum nobis est ad hanc sententiam inferius p. 29.

habet Tacitus, ut ad verbum, quod est **vertere**, hanc praepositionem adponat. Primum enim dicit de directione ad locum in A. I, 38, 9 *raptum vexillum ad ripam vertit;* similiter in c. 56, 16 *ad Rhenum;* III, 4, 10 *versique ad caelum ac deos,* ubi tamen vix de loco cogitari potest, cum *caelum ac dei* sint pro «caelestibus»; sic etiam **convertere ad** de loco: in H. III, 10, 23 *ad signa et bellorum deos;* **praeverti ad**: in A. II, 55, 30 *praeverti ad Armenios instantior cura fuit,* ubi de solo **itinere** Germanici ad Armenios dicitur. Tum de directione ad personas versus usurpatur: in H. II, 51, 2 *ad Verginium versi — minitantes orabant;* A. I, 11, 1 *ad Tiberium;* II, 72, 1 *ad uxorem versus;* XII, 11, 8 *ad legatos;* H. III, 20, 14 *conversus ad singulos;* 24, 6 *ad Moesicos conversus;* A. IV, 8, 23 † *preces ad vos converto;* A. XV, 62, 2 *conversus ad amicos;* itaque si ad personam praepositio pertinet, praeter unum locum, qui est in oratione recta, semper verbum participii formam habet.

In locis, qui sunt in A. IV, 3, 8 *ad uxorem eius Liviam convertere,* et A. XII, 18, 4 *ad Euonen convertere,* sensus est simillimus nostro: sich an Jemand wenden, pro: adire aliquem; A. IV, 54, 9 *obversus ad matrem.*[1]) Singularis usus est in A. II, 1, 7, ubi verba sunt: *Phraates — cuncta venerantium officia ad Augustum verterat,* quod respondet nostro: er hatte sie ihm zugewandt, an ihn gerichtet, i. q. praestiterat Augusto. — Tum autem trans-

---

[1]) Similiter Tacitus praepositione «in» cum his verbis coniuncta utebatur, eo tantum discrimine facto, quod ex natura praepositionis «in» procedit, ut voce *convertere in* intentius vel instantius actionem verbi fieri exprimatur: D. 6, 16 *inter tacentes et in unum conversos,* h. e. magna cum attentione; H. I, 43, 4 *vertendo in se percussores;* A. IV, 28, 10 *obversus in filium;* XIII, 8, 17; XVI, 35, 10. Multo frequentiora sunt exempla, in quibus praepositio hostilem mentem significet, quae ne longus sim, adferre hic non possum. Praeterea eodem enuntiato Tacitus utitur, ut situm loci describat: in H. I, 76, 15 *versae in orientem provinciae;* 86, 5; II, 83, 8 *versum in Italiam mare;* cf. A. IV, 67, 11 *aestas in favonium obversa;* non sui denique similem habet locus in A. I, 64, 11 *quantum aquarum circum surgentibus iugis oritur, vertere in subiecta,* quippe in quo loco finem localem praepositio indicat. In ceteris omnibus exemplis significatio est, rem aliquam in aliam transire sive ita mutari, ut alia fiat, cf. e. c. A. I, 51, 18 *culpam in decus vertere,* quo sensu numquam «vertere ad» Tacitus dixit (cf. sub lit. C. I, 6, a), quamquam praepositioni «ad» eandem in aliorum verborum usu vim tribuit, de quo v. sub lit. C. II, a, 1.

fertur ad res abstractas et notione verbi efficitur, ut saepe intentionem sive inclinationem in rem exprimat: in Ag. 18, 3 *cum et milites ad securitatem et hostes ad occasionem verterentur*, ubi v. notam Kritzii; H. II, 82, 14 *versis ad civile bellum legionibus;* IV, 23, 22 *verterent consilium ad moras;* 83, 21 *aliasque ad curas animum vertere;* V, 11, 7 *Romani ad obpugnandum versi;* A. I, 54, 11 *populum — nondum audebat ad duriora vertere;* XIII, 46, 10 *ad superbiam vertens*, i. e. superbiae simulationem adsumens; XIV, 38, 9 *ad bellum;* XVI, 27, 8* *ad segnitiam;* — D. 14, 10 *studium suum ad causas agendas* **converterat,** quo igitur loco, ut in primo opere, Tacitus, ne ambiguitas ulla esset, gerundivum addidit; Ag. 25, 14 *ad manus et arma conversi;* H. I, 40, 4 *ad omnia;* 79, 1; A. II, 39, 7; III, 55, 10; XIII, 9, 16 *conversum regem ad offerendos obsides;* XV, 69, 2 *ad vim dominationis conversus*, i. q. tyrannica vi usus; — H. III, 83, 5 *ad sanguinem et caedem* **obverso** A. IV, 32, 5 *aut si quando ad interna* **praeverterent,** ubi de rerum Romanarum scriptoribus loquitur. Non autem hoc loco ita mutandum est, quod Nipperdeius fere mavult, ut sit verbi forma: *praeverterentur*, nam exempla, qualia sunt A. III, 55, 10; IV, 3, 8 al. optime activam formam sese habere demonstrant. (Cf. etiam Orell. ad l.). — Denique autem ipsum «vertere sive converti ad» inclinationem in personam indicat, cum qui amat aliquid, os ei obvertit, qui respuit, avertit. Id addendum, duobus locis, qui sunt in A. II, 64, 14 et XIV, 52, 5, eadem vi a Tacito dici «vertere in aliquem.» Exempla illa sunt in H. I, 76, 8 *formido provinciam — ad Vitellium vertit;* A. VI, 49, 7 *nam Phraates et Hiero et si qui alii — ad Artabanum vertere;* H. I, 76, 4 *conversam ad Vitellium Hispaniam;* III, 44, 1 *cuncta ad victoris opes conversa*, quae verba circumscriptione dicuntur pro: adop ulentum victorem; 53, 18 *Hispaniasque — ad Vespasianum conversas;* cf. A. VI, 43, 1 et *flexis ad novum regem popularium animis.* — De alio usu, qui efficitur, cum «ad» ad haec verba accedat v. sub lit. C. I, 6, a.

Varia ratione Tacitus praepositionem coniunxit cum verbis **scribendi,** quam dicendi viam ante omnia sermonis vulgaris fuisse pro: scribere alicui, Handio (in Turs. I, p. 83) concedendum est. (De immutatione dativi et praepositionis v. inferius sub C. I, 6 et II, e.) Primum igitur dixit: **scribere epistulas ad aliquem,** cuius usus loci reperiuntur in H. II, 82, 18; 86, 23 *scriptae in Britanniam*

ad quartadecumanos, in Hispaniam ad primanos epistulae, exemplum notabile, quippe in quo duae praepositiones sequuntur verbum, quarum prior incertius vel magis in universum, altera accuratius directionem, quo epistulae destinatae erant ostendit. [1]) H. III, 11, 4 *quas — ad Vitellium scripsisse credebatur;* 81, 8; IV, 32, 2; 69, 14 *scribuntur ad Treveros epistulae;* A. XIII, 20, 8 **scriptos esse ad Caecinam Tuscum codicillos.* — Omisso deinde vocabulo, quod est *epistulae,* simpliciorem formulam reddidit, ut esset: **scribere ad aliquem,** quem usum in Annalibus praecipue sequitur: H. III, 52, 8 *ad Primum et Varum media scriptitabat;* A. II, 65, 13; XIII, 56, 10; XVI, 14, 15. —

Sed usitatissimum ei est, ut praepositionem ad substantiva referat, quae sunt: **epistulae, literae, codicilli,** quo efficitur, ut «ad» pendeat ex notione scribendi, quae his substantivis continetur. Ita legitur in H. I, 74, 2 *blandimentis infectae ab Othone ad Vitellium epistulae;* 74, 13; II, 55, 11 *epistulae ad consules scriptae haud inmoderate,* quo loco praepositionem cum participio coniungi non posse adverbium, quod adpositum est, demonstrat; IV, 32, 1 *Lectae — epistulae Antonii ad Civilem;* H. II, 23, 24 *occultis ad Othonem literis;* A. XV, 30, 8 *obsidem interea filiam tradit literasque supplices ad Neronem;* ita etiam in A. III, 67, 15 intellegenda sunt verba: *ausis ad Caesarem codicillis,* ubi *ad Caesarem,* ut iam collocatione verborum indicatur, ad vocem *codicillis* pertinet, nam participio *ausis* ne minima quidem movendi notio inest; vernacula lingua: nachdem er noch einen Versuch mit einem Schreiben an Caesar gemacht. — Similiter etiam omnes loci sese habent, in quibus verba sunt: **ad aliquem literas sive codicillos componere,** ubi semper cohaeret praepositio cum substantivo: in H. I, 75, 7 *literas ad Titianum fratrem composuit;* III, 53, 4 *literas ad Vespasianum composuit iactantius quam ad principem;* A. III, 52, 16; XIV, 22, 14 *componit ad Plautum literas;* XV, 8, 9 *composuit ad Caesarem literas;* 13, 12 *literas ad Vologesen non supplices — composuit;* A. IV, 39, 3 *componit ad Caesarem codicillos;* XVI, 24, 3 *codicillos ad Neronem composuit.* Notandum denique

---

[1]) Non nisi in D. 20, 16 praeterea invenimus «scribere in»: *saepe in colonias et provincias suas scribunt.* Saepius autem **in,** si cum vocabulo, quod est «literae» coniunctum est, idem fere valet, quod **contra,** ita in A. V. 3, 5; VI, 15, 4; 53, 13.

est, nullo loco Tacitum scripsisse «componere **epistulas** [1]) ad aliquem.» —

Verbum **dicere ad aliquem** ex usu Taciteo non est: unum tantum exemplum in H. III, 24, 9 reperi, ubi omisso verbo legatur: *plura ad tertianos,* sc. dixit. De alio usu huius enuntiati v. sub C. II, d. —

Sed ut ad vocabula *epistulae* aliaque, ita etiam ad vocabula, quae sunt «**nuntius**» et «**preces**» praepositio additur, quod confirmant exempla in H. IV, 86, 3 *occultis ad Cerialem nuntiis fidem eius temptavisse;* A. XIII, 9, 1 *uterque ad Vologesem regem nuntiis monebant;* II, 30, 17 *extremas preces P. Quirinio propinquo suo ad principem mandavit.* Insolentior hoc loco verborum collocatio sensu excusatur, cum *ad principem,* quae verba sententiolae *ut senatum rogaret* (in c. 31, 1) opponuntur, cum vi dicantur. — De praepositione «versus» v. Greef. p. 5 et cf. G. 44, 6 *Suionum hinc civitates, sitae in Oceanum.* —

In his igitur praepositionem pro prima significatione usurpari clarissime apparet: iam pergamus ad eam, quam secundo loco ponendam statuimus.

b. De perveniendo ad rem dicitur.

Multo crebrior hic usus est eo, de quo modo diximus. Sed si accurate consideramus, tum in iis quoque locis, quos ad hoc genus referimus, distinguenda est duplex significatio praepositionis, quae ex eo pendet, utrum sententia sit, rem sive hominem usque ad locum pervenisse an cursum tantum hunc locum versus tenuisse, quem consequeretur. Sic exempli causa discrimen intercedit inter praepositionem, quae est in sententia: «ad patrem proficiscens interfectus est» et quam legimus in verbis: «ad patrem profectus est», quamquam praepositio in utraque sententia idem primum valebat. Quin nunc etiam, si ratio grammatica respicitur, cum «ad» in altera sententia non nisi per decurtatam dicendi viam pro «usque ad» usurpatum sit — de quo supra vidimus — eandem significationem habet. Itaque cum ex ipsis rebus, quae narrantur, solis cognosci possit, nostrum autem sit, grammaticam tantum in hac disputatione sequi, hoc discrimen in iis, quae huc pertinent,

---

1) De plurali numero huius vocabuli, in quo Tacitus analogiam vocabuli «literae» secutus est cf. Wölfflin. in Philol. XXVI, p. 152.

neglegendum esse existimavimus. — Sed, ut ad singula veniamus, primum dicamus de praepositione «ad», quae

I ex **verbis** pendeat, quorum

1. primo loco **verba eundi** ponimus: **ire ad:**[1]) in H. I, 32, 10 *ad iratos;* A. I, 3, 11 *ad Hispanienses exercitus;* II, 34, 13 *ad praetoris tribunal;* III, 34, 30 **alias ad gentes;* XIII, 21, 1 *ad Agrippinam;* 46, 5 *ad illam* (Poppaeam); XV, 24, 10 *ad signa et effigies principis;* tum autem ad res abstractas accedit, tamen ut significatio praepositionis prorsus eadem maneat utque e. c. in G. 30, 13 *alios ad proelium ire videres, Chattos ad bellum* minime explicari possit, post vocabula *proelium* et *bellum* esse supplendum «committendum» vel tale quid. Non maiore iure hoc fieri potest, quam si quis ad nostrum: zum Kampf ziehen, vel in den Krieg ziehen, simile quid addere velit.[2]) Eadem ratione legimus in H. I, 83, 17 †*imus ad bellum;* A. XI, 16, 9 *civem ire externum ad imperium;* III, 66, 14 *Bruttedium — ad clarissima quaeque iturum.* Paulo aliter comparatus est locus in A. I, 74, 23 *de pecuniis repetundis ad reciperatores itum est*, quae vox primum de vere adeundis magistratibus dicta formula sermonis forensis facta est, in qua non amplius de eundo cogitatur. **redire ad:**[3]) in A. XV, 12, 9 *redire ad signa monebat,* quae verba iam fere translato sensu intellegenda sunt, quod apertius perspicitur in A. II, 26, 7 **rediret ad decretum triumphum,* et in A. III, 7, 1 *ad munia*, qui locus

---

[1]) **ire in,** de terris: in D. 36, 22 *provincias;* Ag. 42, 4; A. II, 8, 8 *dextras in terras;* III, 58, 14; cum nomine terrae coniungitur in A. II, 78, 8 *Suriam,* pro quo nomen populi in H. IV, 56, 16 *Batavos;* A. XII, 33, 1 *Siluras;* — in H. I, 17, 7 *castra;* A. XI, 31, 4; XIII. 14, 15; H. I, 50, 17 * *templa;* A. XIII, 39, 1 *plura simul in loca;* — Ag. 32, 15 † et H. II, 46, 6 *aciem;* G. 3, 2 *proelia;* A. I, 55, 8 *arma;* VI, 6, 6 *perniciem;* XIII, 2, 1 *caedes;* — A. III, 23, 9; XII, 48, 9; XIV, 49, 2: *in sententiam;* A. XIV, 61, 4 *itur etiam in principis laudis,* similiter atque dixit *ruere in aliquam rem,* v. p. 14. cf. etiam sub lit. C. I, 6, c, *α*.

[2]) De hoc usu cf. quod Nägelsbach. in Latein. Stilistik p. 337 disputavit. Sed hanc, quam dicit energeticam vim praepositionis, non alienam esse a nostra lingua ex versione, quam adscripsi, intellegitur.

[3]) **redire in:** A. I, 30, 15 et V, 1, 6 *urbem;* XII, 49, 14 *Suriam;* XV, 46, 6 *Campaniam;* H. I, 39, 4 et III, 68, 21 *Palatium;* H. I, 82, 10; IV, 35, 21; V, 15, 10 et A. XIII, 36, 10: *castra*; H. I, 46, 17 *manipulum;* G. 35, 1 *septentrionem;* H. IV, 64, 4 † *in corpus nomenque Germaniae;* H. IV, 76, 20 * *animum;* 77, 16 † *memoriam.*

non aliter se habet atque ille ex G. 30, 13 repetitus, de quo modo vidimus; A. XII, 66, 7 *ad amorem filii*, paulo insolentius dictum pro: ne denuo amore filii accenderetur; IV, 33, 23 [1]) *ad inceptum munus redeo;* XII, 40, 24 *ad temporum ordinem redeo;* in Historiis semel tantum *redire ad* legitur in l. IV, 71, 7 **socii ad munia pacis redirent.* **Transire ad** [2]) non nisi ad res abstractas transfertur: in D. 6, 1 *Ad voluptatem oratoriae eloquentiae transeo,* qua in formula, si ad novum pergit, Tacitus in Dialogo sibi placet (cf. inferius sub v. *venire ad*); ita etiam in c. 17, 1 *Transeo ad Latinos oratores;* 38, 3 *transeo ad formam et consuetudinem veterum iudiciorum;* aliter in c. 37, 3 *ne — necessitudines ad alios transirent;* H. I, 22, 18 *ad quod* (scelus) *facillime ab eiusmodi voto transitur;* II, 40, 8 *Titianus et Proculus, ubi consiliis vincerentur, ad ius imperii transibant,* magna cum brevitate dictum pro: cum viderent consilia sua prudentia nihil valere, ad ius imperii, quod in manibus eorum positum erat, confugiebant, ut consilia exsequerentur; 80, 6 *mens a metu ad fortunam transierat,* ubi propter sensum cf. Heraei adnotationem; A. XIV, 58, 8 *ad spes novas;* H. II, 66, 12 *ad caedem;* 88, 17 *ad iurgium, mox ad manus et ferrum;* III, 10, 18 *ad tela manusque.* — **proficisci ad:** [3]) in Ag. 7, 6 *igitur ad solemnia pietatis profectus Agricola.* Ne in hoc quidem loco mente addendum est: «faciendum», quod Kritzius volebat. Nam pro notione verbi ita explicandum est, ac si *sollemnia* locus esset, ad quem Agricola proficisceretur. In H. IV, 80, 5 *ad Vespasianum;* A. I, 37, 8 *superiorem ad exercitum;* simillime in l. III, 7, 2; — H. II, 40, 1 *Non ut ad pugnam sed ad bellandum profecti,* et A. III, 47, 4 *ad id bellum,* prorsus eadem ratione comparata exempla quam locus in G. 30, 13, de quo suo loco p. 9 commemoravimus.

---

[1]) ad quem locum cf. Wölfflin. in Philol. XXVI, p. 127.

[2]) **transire in:** H. II, 74, 6 *Moesiam;* A. XIV, 32, 22 *Galliam;* XV, 10, 6 *in diversa ac deteriora transibat,* ubi «in» pro «ad» positum est. Sed cum alius locus non reperiatur, multa autem sint exempla, in quibus «ad» ita usurpatum sit, denique cum «ad» ante «diversa» facile excidere potuerit, scribendum fortasse est: *ad diversa* cet.; H. I, 70, 9 et III. 63, 3 *in partes;* A. VI, 57, 2 et XII, 26, 2 *in familiam alicuius.*

[3]) **proficisci in:** A. III, 34, 29 † *Illyricum;* IV, 4, 6 *provincias;* XVI, 32, 2 *illam in provinciam.*

digredi ad: [1]) in A. VI, 56, 9 *propria ad negotia;* XI, 32, 4 *ad munia fori.* **egredi ad:**[2]) in H. II, 45, 4 *expeditis et tantum ad proelium egressis;* A. XII, 69, 2 *ad cohortem.* **progredi ad:** [3]) in H. III, 86, 16 *Domitianum — ad duces partium progressum;* A. XV, 29, 12 *ad quam* (effigiem) *progressus;* H. III, 32, 12 *feminae ad proelium progressae;* A. III, 31, 8 *parva res magnum ad certamen progressa;* XIII, 48, 4 *seditio ad saxa et minas ignium progressa.* **regredi ad** [4]) semper de regrediendo in loco vel spatio, quem usum brevitatis causa «concretum» appellare liceat, ponitur: ita in H. III, 43, 13 *ad naves;* 61, 15 *ad Vitellium;* A. I, 41, 14 *ad Germanicum;* XII, 10, 12 *ad principem patresque;* 45, 1 *ad patrem.* **transgredi ad:**[5]) Duplex usus notandus in hoc verbo, quorum alter concreto proximus est, si verba fere idem exprimunt, quod: ad partes alicuius transire, alter translaticius est, cum ad res abstractas praepositio accedat. In H. IV, 66, 12† *transgredior ad vos;* mire in Ag. 7, 12 *tarde ad sacramentum transgressae;* sacramentum enim pro ipso Vespasiano scriptum est quadam oblivione, unde vox exorta sit. Nam ad personam vel partes alicuius transiri potest vel denique ad sententiam alicuius, non ad sacramentum, sed sacramento dicto ad partes hominis transitur. Nobis aut dimisso vocabulo, quod est *sacramentum,* dicendum: zur Fahne

---

[1]) **digredi in:** Ag. 6, 1 *urbem;* A. XI, 32, 3 *Lucullianos in hortos;* XVI, 10, 6 *Formianos in agros.*

[2]) **egredi in:** H. III, 29, 10 *vallum;* 41, 17 *in quamcumque partem Narbonensis provinciae;* 71, 5 *tectum;* IV, 29, 14 *moenia;* 49, 23; A. I, 77, 13 et XIII, 45, 11 *publicum.*

[3]) **progredi in:** H. V, 26, 4 *abrupta pontis;* A. XIII, 15, 8 *medium;* XVI, 35, 1 *porticum.* — A. III, 47, 10 *absurdam in adulationem;* cf. A. XI, 37, 13 *in hortos praegressus.*

[4]) **regredi in:** H. III, 70, 8 * *Palatium;* 71, 1 *Capitolium;* 84, 21 *Palatium;* A. II, 72, 3 *urbem;* idemque in A. IV, 58, 11; XV, 39, 1; 73, 8; VI, 50, 13 *Mesopotamiam.*

[5]) **transgredi in:** G. 28, 2 *Germaniam;* 29, 3 *eas sedes;* H. I, 73, 4 *Africam;* II, 69, 2 *castra;* IV, 62, 2 *coloniam Treverorum;* A. II, 67, 1 *Thraeciam;* XIV, 24, 8 *regionem Tauraunitium;* XV, 33, 6 *Achaiam;* H. V, 5, 9 *in morem eorum;* Ag. 7, 7; H. I, 13, 18; 53, 4; II, 85, 2; IV, 39, 4 et 70, 10: *partes,* quam formulam in Annalibus deesse miror. Cf. etiam exempla sub vv. **transire, concedere.** Addendus denique locus in H. II, 92, 18 *domum Caesaris,* quod enuntiatum similiter dicitur atque verba illa: transire in familiam alicuius.

übergegangen, aut si *sacramentum* servare volumus, mutato verbo vertendum: sich zum Eide bequemt hatten. Numquam autem ipsam formulam: ad partes transgredi, composuit, pro qua, ut ex adnotatione elucet, praepositione «in» praelata dicebat: *in partes transgredi.* — H. IV, 16, 8 *ad vim transgressa;* A. III, 66, 1 *ad infesta;* XVI, 10, 5 *ad accusandum.* Similiter atque *transire ad* de oratione, quae ad aliam rem vel personam procedit, usurpatur, etiam in H. IV, 41, 12 dici legimus: *ad Paccium Africanum transgressi,* cum antea de aliis delatoribus narratum sit. **transcendere ad:** [1]) in A. IV, 56, 3 *ad ea, quis maxime fidebant,* i. e. Zmyrnaei in oratione sua ad merita erga populum Romanum transibant. **remeare ad:** [2]) in Ag. 40, 10 *ad Domitianum;* H. III, 54, 18 *ad Vitellium.* **reverti ad:** [3]) in A. XII, 28, 3 *ad montem Taunum;* H. II, 38, 17 *ad rerum ordinem,* cui verbo aliis locis *redire* cum eadem significatione respondet.

accedere ad:[4]) in H. I, 16, 18† *ne ipse quidem ad securas res accessi.* Locum singularem exhibet A. I, 28, 20 †, ubi verba sunt in oratione recta: *ut novissimi in culpam, ita primi ad poenitentiam sumus.* Editores recentiores nihil adnotabant, Handius in Tursell. I, p. 113 hunc locum ratione tractat, quam me prorsus non intellegere fateor. Dicit enim de adiectivis participiisque, quae cum praepositione «ad» coniuncta utilitatem, aptam et idoneam rem, opportunitatem, hisque contraria significent. Exemplis prolatis ad insolentiora transit, qualia sint in Tac. Hist. 1, 72 *corrupto ad omne facinus Nerone,* quae verba huc non pertinere inferius sub lit. C. II, a, 1 videbimus; Ovid. Fast. 2, 688 *fortis ad arma;* Liv. 35, 10, 7 *in Quinctio nova et recentia omnia ad gratiam erant,* et deinde hunc locum, de quo agitur, addit. Ut concedam illum locum Livianum ita explicandum esse, ut recens gloria Quinctii apta fuerit ad gratiam comparandam, (quamquam etiam in hoc loco

---

[1]) **transcendere in:** H. I, 30, 21 † *provincias;* de scriptura verbi v. Wölfflinum in Philol. XXV, p. 103; H. IV, 73, 18 † *Gallias.*

[2]) **remeare in:** A. III, 21, 13 *terga;* VI, 43, 24 *Suriam;* XIII, 47, 10 *hortos;* XIV, 25, 10 *patrias in sedes.*

[3]) **reverti in:** H. IV. 77. 10 *castra.*

[4]) hoc verbum cum praepositione «in», quae motum in locum exprimat, coniunctum non extat in libris Taciteis, neque ea in proximis verba, ad quae nihil adnotatum.

praeferendum mihi videtur, ut dicatur *ad gratiam* vice dativi fungi, qui usus vel maxime ex sermone vitae cotidianae desumptus omnibusque linguis communis est, de quo inferius disputabimus), tamen videre nequeo, quomodo locus Taciteus huc referri possit. De hac interpretatione cogitari non posse iam verba, quae sunt: novissimi in culpam, indicant. Praeterea hoc loco non in opportunitate vel inclinatione militum ad paenitentiam vertitur sed in vero reditu ad paenitentiam oboedientiamque. Denique exemplis probandum erat, verba *primi ad* ita usurpari posse. Similis mihi locus esse videtur Ciceroniano illo (de finn. 3, 16, 52): *quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad regium principatum,* quem ipse Handius p. 91 attulit et recte interpretatus est: *qui accedit proxime ad regiam potestatem.* Eadem ratione Madvigius verba intellexit. Ad verba: *ut novissimi in culpam,* cogitando supplendum est verbum: venimus vel indicimus, et ad: *primi ad poenitentiam:* accedimus, quae verba in oratione commotiore omitti vel potius uno verbo *sumus* comprehendi potuerunt. In Ciceroniano illo ambiguitas esse non potest, quod antea scriptum erat *accedit.* Similiter nos dicere possumus: er war der erste zum Kampf, zur Reue. — **concedere ad:** [1]) in H. II, 51, 7 ut in verbo *transgredi ad aliquem* concreta significatio verbi evanescit, vix enim quisquam in verbis: *concedentibus ad victorem — copiis* de vero itinere copiarum ad victorem cogitat; A. XIII, 56, 15 *retro ad Usipetos et Tubantes concessit.* **discedere ad:** [2]) in Ag. 21, 10 *paulatimque discessum ad delenimenta vitiorum;* A. XI, 16, 15 *discedunt ad conterminos populos.* **incedere ad:** in H. III, 40, 2 *segnius quam ad bellum incedens.* **procedere ad:** in G. 22, 4 *tum ad negotia nec minus saepe ad convivia procedunt armati;* H. I, 37, 1 † *Quis ad vos processerim — dicere non audeo;* A. XV, 67, 6 *quibus causis ad oblivionem sacramenti processisset.*

pervadere ad: [3]) in A. XII, 46, 11 *ad Pharasmanen pervadit;* XIV, 7, 5 *sive ad senatum et populum pervaderet;* XII, 51, 11

---

[1]) **concedere in:** H. IV, 21, 4 *Vetera castra;* V, 3, 13 *rupem;* 19, 5 *insulam;* A. II, 46, 19 *Marcomannos;* III, 31, 5 *Campaniam;* H. II, 1, 19 *partes;* — A. I. 79, 16 *sententiam Pisonis;* II, 37, 7 *adulationem;* IV, 74, 1 † *nostrum ius.*

[2]) **discedere in:** A. I, 49, 4 *partes;* cf. III, 69, 23 *in hanc sententiam facta discessio.*

[3]) **pervadere in:** H. I, 43, 6 *aedem Vestae;* III, 62, 3 *Germanias.*

Hiberos ad patrium regnum pervadit. Ita enim Mediceus II locum exhibet. Si coniungere vis: *Hiberos pervadit,* (ut e. c. dicitur in D. 30, 18 *Achaiam quoque* et *Asiam peragrasse*; A. I, 50, 5 *saltus obscuros permeat;* II, 8, 5 *lacus inde et Oceanum — pervehitur;* G. 37, 19 *silvas — persultare*), obstat, quod Radamistus ipse Hiberus est. Si *Hiberos* pro accusativo accipis, qui sicut nomina urbium sine praepositione cum pervadendi verbo coniungatur, tum demonstrandum primum est, populorum nomina eadem ratione usurpari posse: ea saltem, quae Halmius in commentario critico adscripsit exempla nihil probant; ne locus in H. III, 84, 19 quidem, ubi ipsa praepositio «ad» inseritur: *Tarracinam ad cohortes fratresque perfugeret,* quem locum non attulit, huc pertinet.[1]) Qua de causa, cum verisimilius sit, ut *Hiberos* ad verba *ad patrium regnum* explicandi causa a librario in margine adnotatum a posteriore autem in ipsa verba receptum sit, quam ut praepositio exciderit, cuius rei nullum indicium neque in initio neque in fine verborum extat, cum Rittero *Hiberos* pro glossemate habendum eiciendumque esse putaverim. Neque ulla ambiguitas exoritur, cum hoc vocabulum non legatur. **ruere ad:**[2]) in H. II, 68, 18 *ruebat ad convivium miles;* III, 77, 8 *ad naves;* A. I, 66, 3 *ad portas;* III, 1, 7 *ruere ad oppidum Brundisium,* qui locus, ut recte Greefius p. 21 dixit, demonstrare non potest, Tacitum praepositione «ad» usum esse, ut directionem ad urbem versus exprimat, cum vocabulum, quod est *oppidum* antecedat. — H. I, 46, 19 *ad seditiones et discordias et ad extremum bella civilia ruebant*; A. XIII, 14, 18 *ad terrorem et minas.* **decurrere ad:**[3]) in H. III, 77, 3 *miles ad caedem magis quam ad pugnam decurrit;* A. XIV, 8, 2 ad litus. **discurrere ad**: in Ag. 35, 3 *statimque ad arma discursum.* **recurrere ad:** in D. 9, 12 *ad hunc Secundum recurret aut ad te.*

---

[1]) Nipperdeius ad locum in A. XII, 32, 1 reiecit, ubi legit: *et ductus inde Cangos exercitus.* Sed recte Halmius restituit: *et ductus in Decangos exercitus,* cf. comm. crit. ed. Halm. p. XXXIII.

[2]) **ruere in:** H. I, 45, 1 *castra*; IV, 49, 20 *forum;* V, 19, 8 *Galliam:* II, 17, 9 *aperta, silvam*; IV, 25, 17 *tela;* H. I, 35, 3 *plausus et inmodica studia,* ubi v. Heraei adn.; 84, 7 † *exitium;* III, 66, 22 * *in quod sponte ruant;* IV, 54, 3 *populum Romanum;* A. I, 7, 1 *servitium;* XVI, 32, 5 *amplexus filiae.*

[3]) **decurrere in:** A. XIII, 53, 9 *Rhenum;* cf. A. XII, 55 4 *decursu in litora aut urbes.*

adfluere ad in A. II, 6, 17 *ad Gallicam ripam.* **deerrare ad:** in A. XIII, 29, 5 *quia sors deerrabat ad parum idoneos.* **deficere ad:** in A. II, 45, 3 *defecere ad eum.* **flectere ad:**[1]) in H. III, 82, 14 *qui in partem sinistram urbis ad Sallustianos hortos — flexerant*, ubi praepositio «in» parum definite, «ad» accurate finem flectendi indicat; A. XV, 61, 14 *sed flexisse ad Faenium praefectum*, similiter in l. III, 21, 15 *deflexit* ad maritimos locos. Deinde *flectere ad aliquid* idem fere significat quod: in dicendo ad aliam rem transire, hic autem usus in solis Annalibus extat: in l. I, 34, 12 *a veneratione Augusti orsus flexit ad victorias triumphosque Tiberii;* VI, 21, 11 *flexit ad graviora;* XIII, 3, 6 *postquam ad providentiam sapientiamque flexit.* Denique cum rebus abstractis coniungitur in A. I, 29, 3 *flexos ad modestiam si videat;* A. III, 59, 7 *Drusi epistulae quamquam ad modestiam flexae pro superbissimis accipiuntur*, i. e. quamquam ad modestiam se contulerant sive converterant, breviter: quamquam modestae erant. Propter hanc significationem in A. VI, 43, 1 *flexis ad novum regem popularium animis*, verba fere esse possunt quod: inclinatis ad regem animis. De alio usu praepositionis, quae hoc verbum sequitur v. inferius sub lit. C. **tendere ad:** in A. I, 39, 13 *ad Germanicum tendentes*, pro: festinantes; aliter *tendere ad* usurpari iam supra p. 4 vidimus. Similem autem sensum verba **contendere ad** habent in H. IV, 50, 13 *ad legionem contendit*, et in A. II, 68, 5 *ad amnem Pyramum.*

fugere ad:[2]) in A. VI, 20, 7 *tamquam — Parthorum ad misericordiam fugeret.* **confugere ad:**[3]) in D. 10, 27 *cum — ne ad illud quidem confugere possis;* H. II, 76, 20 † *confugiendum est ad imperium*, satis audacter pro: tibi salus quaerenda in capessendo imperio; IV, 40, 11 *ad Vespasianum confugisse.* **effugere ad:**[4]) in A. II, 68, 2 *effugere ad Armenios, dein Albanos Heniochosque et consanguineum sibi regem Scytharum.* Ita Halmius locum

---

[1]) **flectere in:** H. I, 70, 16 *Noricum;* III, 41, 14 *Umbriam atque inde Etruriam;* 82, 14 *partem sinistram urbis;* A. III, 16. 9 *maestitiam;* IV, 20, 10 *melius;* 37, 5 *ambitionem;* VI, 35, 18 *Tiberium;* semel quoque in A. I, 16, 14 de tempore usurpatur: *flexo in vesperam die.*

[2]) cf. A. VI, 42, 15 *in longinqua et contermina Scythiae fugam maturavit.*

[3]) **confugere in:** A. XIV, 24, 6 *castella.*

[4]) cf. H. IV, 18, 23 *fuit — effugium legionibus in castra.*

scripsit. Medicei autem verba sunt: *inde in Albanos.* Nipperdeius ad hunc locum exempla Tacitea attulit, quibus praepositionem in secundo membro, quamquam per *mox, simul, exim, sed, inde, ad extremum* a priore separatum esset, omitti posse confirmaret. Addere etiam potuit locum in D. 28, 14. Mihi quidem recte fecisse videntur editores, quod «in» eiecerunt, quamquam in prioribus scriptis inveniuntur loci H. I, 27, 11 *per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad miliarium aureum — pergit;* 42, 7 *primo ictu in poplitem, mox — in utrumque latus transverberatus;* 47, 8 *in Capitolium atque inde in Palatium vectus;* Ag. 5, 11 *tum de salute, mox de victoria certavere.* Si «in» scribis, tum ad verba *consanguineum regem*, ex hac praepositione supplendum est «ad», quod nimis artificiose dictum esse videtur, cum praesertim vocabulum «ad» ad omnia membra optime quadret. Ne in loco quidem, quem modo adscripsimus, in H. I, 27, 11, scriptor hoc fieri volebat, quamvis multo facilius ibi «ad» ex praepositione «in» suppleri potuit. Quod ad formam «dein» attinet, pro qua Nipperdeius «inde» scripsit, Wölfflinus in Philol. XXV, p. 105 demonstravit, «dein», quae est coniectura Haasii ferri non posse, quia in Annalibus non nisi ante consonantes positum usurparetur. Quam formam ipse legi velit, ex verbis non satis perspicuum est, sin autem codicis lectionem respicimus, vix dubitari potest, quin cum Nipperdeio *inde* scribamus. **perfugere ad:** [1]) in H. I, 60, 10 *ad Vitellium;* III, 77, 1; 84, 19 *Tarracinam ad cohortes fratremque,* de quo loco iam supra commemoravimus; A. I, 32, 7 *ad tribunal;* 56, 14 *ad Germanicum;* II, 45, 5 *ad Maroboduum;* IV, 67, 22 *ad Germaniae exercitus;* VI, 3, 5 *in hortos Pomponii quasi fidissimum ad subsidium;* XII, 30, 6 *ad classem.* His exemplis elucet, numquam Tacitum hoc verbo cum praepositione «ad» coniuncto, sensu translaticio usum esse: nam in A. VI, 3, 5 *subsidium* non minus concreta vi dicitur, quam apud nos «Schutzwehr.» **pergere ad:** [2]) in H. I, 27, 11, (verba supra iam exscripsi); IV, 49, 16 *corruptissimum quemque — pergere ad obsessos iubet*; A. I, 27, 8 * *quo pergeret, ad imperatorem an ad patres;*

---

[1]) **perfugere in:** H. I, 68, 8 *montem Vocetium;* III, 83, 4 *quam in domum;* IV, 60, 14 *castra;* 67, 7 *villam;* 70, 25 *civitates;* A. III, 36, 8 *Capitolium;* VI, 3, 5 *hortos.*

[2]) **pergere in:** H. I, 27, 11 *Velabrum*: A. XIV, 61, 16 * *urbem.*

40, 2; 41, 6 * *ad Treveros et externae fidei;* III, 8, 2 *ad Drusum;* IV, 52, 7 *ad Tiberium;* VI, 5, 7 *ad paternos exercitus;* XII, 44, 17 *ad patruum;* IV, 74, 15 *quod quisque ad negotium pergat.* Notanda mihi esse videtur collocatio verbi, quippe quod semper praepositionem praecedat praeter locum in A. III, 8, 2 ubi, si *pergit* anteponeretur, duo verba *molliret*, *pergit*, sese exciperent, et in l. IV, 74, 15 qui locus non in narratione sed in dicto ipsius scriptoris est. **advehi ad:** in A. I, 51, 16 *Caesar advectus ad vicensimanos.* **pervehi ad:**[1]) in H. II, 4, 8 *ad patrem;* V, 16, 17 *pervectus ad Germanicum exercitus manus tendebat.*

venire ad:[2]) in D. 2, 5 *venerunt ad eum;* 6, 9 *ad iuvenem et pauperem;* 35, 23 *ad veros iudices;* 8, 6 *ad has — opes — venisse*, simillimum nostro: zu etwas kommen; 33, 25 *ad eas exercitationes;* tum autem de usu huius verbi dicendum, qui non nisi in Dialogo reperiatur et qui respondeat illi, quo *transire ad* in eodem libello usurpari vidimus. Legimus enim in c. 18, 29 *ad singulos veniam*, et in c. 21, 1 *Ad Ciceronem venio.* Quod, si brevitatem Dialogi respicimus, tam saepe Tacitus pronuntiat, se ad novum pergere velle et nondum facilem transitum fere ignorantibus eis, qui legunt, reperire potest, vel inprimis mihi adulescentis esse videtur, qui in scribendo nondum multum versatus sit. — In G. 31, 14 *prout ad quemque venere;* H. II, 41, 1 *ad Caecinam;* III, 79, 1 *ad Saxa rubra*, in quo nomine oppidi de prima significatione cogitatur, quare praepositio omittenda non erat, cf. Greefium p. 21; H. III, 80, 15 *ad Antonium;* IV, 4, 15 *ad Helvidium;* A. I, 26, 10 * *ad se;* 50, 13 *ad vicos Marsorum;* XII, 35, 8 *ad aggerem;* 49, 7 *ad Radamistum;* XIV, 8, 10 *ad fores cubiculi;* Ag. 18, 25 *ad bellum;* H. II, 68, 16 *ad proelium;* Ag. 28, 10 *ad extremum inopiae;* H. V, 25, 16 * *ad extrema.* —

---

[1]) **pervehi in:** H. II, 9, 11 *Asiam.*

[2]) **venire in:** D. 10, 7; H. I, 85, 9; A. II, 2, 2; VI, 37, 1; XII, 37, 2 † et XV, 24, 9: *urbem;* — H. III, 55, 16; IV, 59, 7; A. VI, 43, 13; XV, 28, 14: *castra;* — Ag. 40, 14 *Palatium;* G. 14, 1 *aciem;* A. VI, 34, 2 *Aegyptum;* XI, 16, 20 *regnum;* 21, 6 † *provinciam;* XIII, 38, 6 * *faciem pacis;* XIV, 24, 5 *locos cultos;* XVI, 26, 20 * *senatum;* — D. 37, 6; H. IV, 71, 25; 76, 17 † et A. IV, 11, 17: *in manus* (alicuius), in A. II, 80, 16 eadem formula pro voce: pugnam conserere; A. I, 57, 18; II, 10, 2 *; XIII, 39, 26†: *in deditionem;* — A. I, 72, 8 *iudicium;* D. 41, 4 *clientelam.*

ventitare ad:[1]) in Ag. 43, 3 *ventitavere ad domum* (Agricolae); A. XII, 3, 2 *ad eum;* XV, 53, 3 *ad ludicra circi;* XVI, 14, 7 *ad eum.* **pervenire ad:** in D. 14, 20 *ad quorum aures pervenerint;* 20, 23 *ad aures iudicantium;* Ag. 29, 7 *ad montem Graupium;* H. I, 66, 20 *ad Alpes;* IV, 33, 11 *ad legiones;* A. I, 67, 5 * *ad Rhenum;* — D. 9, 22 *ad nullam certam et solidam pervenit frugem;* A. III, 25, 8 *ad hanc multitudinem — legum perventum sit.* —

2. Eodem modo «ad» coniungitur cum verbis **mittendi, ducendi, ferendi.** Primum igitur dicamus:

a. de **mittendi** verbis: **mittere ad.** Hoc verbum omnibus scriptoribus usitatissimum Tacitus, cum praepositio «ad» accedat, in duabus maxime vocibus habet, quarum prior est: **mittere ad aliquem epistulas, literas, codicillos.** Itaque **mittere epistulas ad:** in D. 18, 22;[2]) H. III, 9, 14; IV, 4, 1; 75, 2 *misere ad Cerialem epistulas;* A. II, 78, 2 *missisque ad Tiberium epistulis.* In posterioribus scriptis Tacitum adamasse, ut pro vocabulo, quod est *epistulas,* vocem «**literas**» poneret, ex his exemplis elucet: in H. III, 41, 1 *Missis ad Vitellium literis;* IV, 13, 10 *missis — ad eum literis;* A. I, 7, 17; III, 32, 1 *missis ad senatum literis;* idemque in l. VI, 35, 7 et XIV, 59, 16; III, 56, 2; IV, 29, 11 *missis ad Caesarem literis;* idemque in c. 69, 12 et in l. VI, 36, 12; — XIV, 10, 5; A. I, 48, 3 ***praemittit*** *literas ad Caecinam;* — **codicillos:** in A. I, 6, 16; — **commentarios:** in A. VI, 53, 12; — **orationem:** in A. XVI, 7, 7 *missa ad senatum oratione;* — **preces,** in A. XI, 10, 21 *mittere ad principem Romanum occultas preces;* XV, 11, 11 *missis iterum ad Corbulonem precibus.* — Deinde autem saepissime hoc verbo usus est in formula: **legatos ad aliquem mittere,** aut ita posuit, ut sensus sit, aliquem pro legato vel cum mandato ad aliquem mitti: in Ag. 40, 7; H. I, 19, 9; 31, 4; 56, 15; 74, 7; II, 82, 13; 98, 6; III, 7, 6; 70, 2; IV, 6, 12; 15, 2; 21, 4; 32, 5; 51, 7; 60, 7; 65, 17; A. I, 22, 6 †; 29, 7; II, 46, 20; III, 73, 3; IV, 37, 1; XII, 15, 10; 19, 4; XIII, 48, 2; XIV, 25, 6; XV, 5, 2; 5, 15; 7, 1; 14, 14; 60, 10*; 61, 1; — **nuntios:** in H. I, 67, 14; III, 69, 24. — Praeterea

---

[1]) **ventitare in:** H. II, 91, 11 *senatum.*

[2]) Iis locis, in quibus verba non exscripsimus, praepositio substantivis, quae sunt *epistulae* cett., praemissa non est.

paucis aliis locis hac voce usus est,[1]) qui sunt in H. IV, 13, 3; *missusque ad Neronem;* 24, 17 *vinctosque qui attulerant ad Vitellium misit;* 75, 9 *eum — ad Domitianum misit;* A. I, 60, 5 *ad flumen Amisiam;* II, 42, 9 *ad res orientis;* IV, 56, 5 *externa ad bella.*

Quibus apparet in minoribus scriptis et in Historiis non usurpari verba *mittere ad* cum loco coniuncta, sed non nisi hac significatione: ad personam mittere, et plerumque cum certo mandato. De alio usu v. sub lit. C. I, 6, a. **dimittere ad:**[2]) in H. III, 31, 24 *ad Vespasianum.* **intromittere ad:** in A. XV, 61, 18 *ad Senecam.* **praemittere ad:**[3]) Verbo dignum est exemplum in H. I, 6, 12, ubi legitur: *praemissosque ad claustra Caspiarum et bellum, quod in Albanos parabat;* nam hoc loco praepositionem semel positam ad diversas notiones referri apparet; quippe primum ad locum, deinde ad abstractam notionem pertinet. Quem usum etiam in aliarum praepositionum usu nonnumquam secutus est: ita similiter dicitur in H. II, 64, 5 *in itinere ac taberna iugulavit,* quo loco verba *in itinere* de tempore itineris intellegenda; nos vertimus duarum praepositionum auxilio et omissa particula coniunctionis: auf der Reise in einer Schenke; similiter etiam in H. III, 2, 4 * *neque enim in procinctu et castris habitos.* Ibi enim *in procinctu* conditionem exercitus, *in castris* locum, ubi exercitus commoratur, indicat; in H. I, 54, 11 *ut per tenebras et inscitiam ceterorum occiderentur*; III, 22, 6 *agminis disiecti per iram ac tenebras;* nam vocem *per tenebras* accipiendam esse pro *in tenebris* vel pro sola voce *tenebris*, i. q. «in der Dunkelheit» videre licet ex H. I, 26, 8; 81, 11; III, 19, 6; 21, 12; IV, 29, 3; 36, 13; A. XIV, 20,

---

[1]) **mittere in:** H. I, 75, 3 *Germaniam, urbem;* A. II, 74, 5; XII, 28, 7; — H. III, 15, 2 *Cremonensem agrum;* 35, 5 *Britanniam, Hispanias, Galliam, Germaniam;* H. IV, 56, 6; A. II, 26, 10; H. V, 19, 3; A. IV, 28, 6; H. II, 67, 5; — A. II, 67, 12 *Aegyptum;* III, 32, 10 *Asiam;* H. IV, 83, 6 *Pontum;* A. II, 66, 2 *Thraeciam;* IV, 55, 22 *Graeciam;* I, 44, 14 *Raetiam;* II, 44, 1 *Illyricum;* XV, 5, 11 *Armeniam;* I, 57, 10 *Gallicam in ripam;* IV, 5, 3 *oppidum Foroiuliense;* III, 34, 14 * *provinciam;* XV, 45, 7 *eas provincias;* II, 23, 2 *hibernacula;* H. IV, 71, 15 *Mediomatricos*, et semel translata significatione in H. II, 40, 10 *in discrimen.* Cum dativo coniunctum non reperi.

[2]) **dimittere in:** Ag. 38, 10 *omnem partem;* IV, 39, 22 *hiberna.*

[3]) **praemittere in:** H. I, 34, 2 *castra;* 70, 5 *Aegyptum*; II, 62, 9 et A. III, 8, 1 *urbem.*

23; — cf. Ag. 12, 12; H. I, 48, 9; III, 38, 3; IV, 83, 5; A. XI, 21, 4; XII, 13, 10; XIII, 38, 17; XIV, 59, 8; XV, 50, 22. — Itaque legitur in H. I, 63, 9 *ut — civitates cum magistratibus et precibus occurrerent;* II, 88, 19 *cum terrore et armatorum catervis volitabant;* conferri etiam possunt duo loci in H. IV, 31, 5 *quis nec amor nec odium in partes*, et in A. I, 55, 6 *insignem utrumque perfidia in nos aut fide,* qui usus ex natura atque indole praepositionis «in» evenit, quae neque hostilem nec benevolum adfectum animi sed eam tantum relationem comprehendat, quae inter duas res vel personas existit. Haec fere sunt rarioris huius usus exempla, quae in scriptis Taciteis inveniuntur. — **remittere ad:**[1]) in A. III, 10, 14 *causam ad senatum*; XII, 21, 4 † *non sum remissus ad te.* **deprimere ad:** in A. XII, 57, 2 *depressi ad lacus ima vel media.* **deicere ad:**[2]) in A. II, 60, 5 *diversum ad mare terramque Libyam deiectus est.* **propellere ad:** in H. III, 85, 5 *ad Gemonias — propulere.* **agere ad:**[3]) in A. II, 13, 8 *acto ad vallum equo*; XIV, 42, 5 *ad supplicium.* —

b. Deinde autem ad haec **ducendi** verba praepositio additur: **ducere ad:**[4]) in H. III, 74, 8 *ad Vitellium;* IV, 25, 23 *ad supplicium;* A. VI, 43, 3 *ripam ad Euphratis*, ubi propter collocationem introspicienda Nipperdei adnotatio (v. in Supplemento); XIV, 7, 18 *ad iussa;* 45, 7 *ad poenam.* **deducere ad:**[5]) in D. 34, 4 *deducebatur*

---

[1]) **remittere in:** H. II, 66, 6 *Britanniam;* 69, 5 *Germaniam;* IV, 17, 6 et 71, 6 *civitates;* 39, 24 *Suriam;* A. II, 23, 2 *hibernacula.*

[2]) **deicere in terram:** nam in hac sola formula praepositio «in» additur, v. H. I, 82, 12 *voltus;* III, 31, 16 et A. I, 34, 4 *deiectis in terram oculis.*

[3]) **agere in:** Ag. 2, 8; A. IV, 63, 8; XII, 52, 2; XIII, 22, 4; XVI, 20, 4 et 33, 4: *exilium;* Ag. 39, 9 *silentium;* 41, 19 *gloriam;* G. 6, 11 *rectum;* H. I, 11, 10 *favorem aut odium;* 62, 14 et A. XIV, 32, 22 *bellum;* H. I. 83, 13 † *discordiam*, id. in l. II, 38, 15; III, 33, 8 *mutuam perniciem;* 53, 6 * *arma;* IV, 22, 11 et V, 21, 6 *amnem.*

[4]) **ducere in:** Ag. 38, 13 *fines Borestorum;* 45, 6 et A. III, 51, 2 *carcerem;* XIII, 28, 4 *vincla;* H. IV, 26, 15 *pagos;* 39, 25 *Germanias;* 79, 16 *Nervios;* A. III, 9, 3 *urbem;* IV, 25, 5 *partem;* XV, 51, 18 * *partes;* XII, 32, 2 *agros;* XV, 26, 5 *Armeniam.*

[5]) **deducere in:** D. 35, 1 et A. XIV, 14, 15 *scaenam scholasticorum*; 35, 6 *scholas;* H. I, 89, 12 et II, 43, 4 *aciem;* III, 86, 18 *paternos penates;* A. II, 3, 10 et XII, 50, 4 *regnum;* II, 16, 1 *campum;* XII, 5, 4 et XIV, 63, 10 *domum;* XII, 27, 2 *oppidum Ubiorum*; 32, 12 *agros:* XV, 2, 4 † *possessionem Armeniae.*

— *ad eum oratorem;* sed neque in Historiis ullus locus, in quo hoc verbum cum praepositione «ad» coniungatur, neque in prioribus sex libris Annalium neque in libro undecimo invenitur, tum autem in A. XII, 11, 13 *deducere iuvenem ripam ad Euphratis;* 51, 16 *ad Tiridaten;* XIV, 22, 19 *ad urbem*; 25, 9 *ad litora maris rubri;* XV, 55, 3 *ad libertum Neronis Epaphroditum, mox — ad Neronem.* **perducere ad:**[1]) in H. III, 77, 13 *ad L. Vitellium;* A. I, 39, 21 *ad se.* **reducere ad:**[2]) in A. I, 63, 10 *ad Amisiam;*[3]) XI, 18, 12 *legiones — veterem ad morem reduxit.* **trahere ad:**[4]) in H. V, 6, 25 *ad litus;* A. I, 44, 7 *vinctos trahunt ad legatum*; IV, 22, 2 *ad Caesarem;* VI, 6, 5 *ad disquisitionem*; XII, 51, 9 *ripam ad Araxis trahit;* — H. II, 57, 1 *ut ad integrum bellum — vires trahebat;* IV, 14, 7 *ad stuprum trahebantur*; A. XI, 29, 5 *ad perniciem;* XV, 1, 5 *diversas ad curas trahebatur.* — De alio usu v. s. lit. C. II, b, 3. **retrahere ad:** A. IV, 45, 12 *ad quaestionem;* XV, 57, 6 *ad eosdem cruciatus;* H. IV, 56, 17 *partem ad societatem Romanam retracturum;* A. XIII, 26, 16 * *ad servitutem;* XV, 73, 14 *novam ad saevitiam.* **pertrahere ad**: in Ag. 42, 8 *ad Domitianum;* H. II, 72, 8 *ad Vitellium.* —

c. Tum pertinet praepositio ad **ferendi** verba: **ferre ad:**[5]) in G. 7, 13 *ad matres, ad coniuges volnera ferunt;* H. I, 67, 8 *epistulis, quae — ad Pannonicas legiones ferebantur*, idemque in A. XVI, 17, 16; H. II, 8, 13 *dextras — ad praetorianos ferentem;* 16, 20 *ad Othonem;* A. I, 8, 20 * *corpus ad rogum — ferendum;*

---

[1]) **perducere in:** A. I, 71, 2 *civitatem Ubiorum.*

[2]) **reducere in:** A. I, 37, 6 *civitatem Ubiorum;* 38, 10 et II, 26, 1 *hiberna.*

[3]) Hoc loco post nomen proprium non ex coniectura Thomaei (Observatt. critt. in Corn. Tac. Bonnae 1866 p. 31) restituendum est *amnem,* nam in c. 60, 5 iam de eadem Amisia explicandi causa dictum erat: *ad flumen Amisiam mittit.*

[4]) Permulta sunt exempla, in quibus **trahere in** legamus, quorum pauca tantum adponimus: D. 17, 21 *urbem;* H. I, 79, 27 *gloriam in se;* A. II, 78, 2 *eandem sententiam;* III, 5, 8 *partes;* A. I, 55, 12 *bellum;* H. III, 56, 20 *arma;* 33, 5 *ludibrium;* II, 52, 6 *deterius;* A. IV, 21, 4 *ius.*

[5]) **ferre in:** D. 10, 20 *ipsam arcem eloquentiae;* 13, 20 *sacra, fontes;* Ag. 31, 19 *libertatem, poenitentiam;* G. 7, 8 *proelium;* H. II, 29, 17 *tribunal;* A. IV, 13, 11 *insulam Cercinam;* VI, 54, 18 *carcerem;* XII, 2, 13 *aliam in domum;* 51, 15 *urbem Artaxata;* XIV, 64, 11 *urbem;* XV, 53, 14 *castra.*

19, 4 * *desideria — ad Caesarem ferenda*, sicut simillime dicitur: preces mittere ad aliquem, cf. supra p. 18; II, 39, 5 *Agrippam ferre ad exercitus Germanicos*; H. IV, 29, 2 *ad pugnam temeritate inani ferebantur*. **deferri ad**:[1]) in A. II, 29, 5 *lectica delatus ad fores curiae*; A. XII, 63, 9 *hos ad portus*. In his solis exemplis concretum sensum vox habet, de alio usu, in quo etiam significatio verbi commutetur v. inferius s. l. C. II, e. — Mire quodam modo in H. I, 33, 3 verba dicuntur: *ad ignaros inlatus*, quibuscum comparari possunt exempla, de quibus inferius commemorabo, ubi verba sunt *inrumpere ad aliquem* p. 26 et 32 in adn. 2. **referre ad**:[2]) in A. XII, 54, 13 *praedas ad procuratores referre*; D. 30, 8 *animum ad eam disciplinam*, similiterque in A. III, 6, 7 *animum ad firmitudinem*. De alio usu v. s. lit. C. II, b, 3 et C. II, e. **transferre ad**:[3]) Concreto sensu haec vox primum dicitur in formula illa *signa ad aliquem transferre*, quae in H. IV, 16, 12; A. II, 81, 5; deinde vero his locis: A. III, 53, 20 †*pecuniae — ad externas aut hostiles gentes transferuntur;* A. III, 22, 13 *servos Lepidae transtulit ad consules neque per tormenta interrogari passus est*, quae verba recte interpretatus est Orellius: *ducebantur enim servi e militari custodia ad consules, qui carcere eos custodiri iusserunt, nec cogitandum est ad consules ductos esse, ut eorum domibus custodirentur*. — Aliter rursus comparati sunt loci, ubi fusius dicendi genere, quod ex sermone vitae cotidianae derivatur, *transferre ad aliquem* pro «transferre alicui» usurpatur, (cf. s. l. C. I, 6 et C. II, e). Itaque legimus in A. I, 15, 1 *comitia ad patres;* 15, 12 *celebratio annua ad praetorem translata;* XII, 42, 6 *regimen cohortium ad Burrum;* XIII, 28, 17 *curam tabularum — ad praefectos;* 48, 7 *ad Scribonianos fratres ea cura transfertur*, quem igitur usum non nisi in Annalibus habet. — Ad notiones abstractas denique accedit praepositio hisce locis: in H. II, 80, 17 *legiones in Suriam ad militiam opulentam — transferret;* A. II, 56, 17 *tum primum ad ius praetoris*

---

[1]) **deferre in:** Ag. 19, 18 *remota et avia;* G. 3, 10 *hunc Oceanum.*

[2]) **referre in:** D. 21, 28 *bibliothecas;* A. I, 28, 25 *suas in sedes;* IV, 67, 21 *annales.*

[3]) **transferre in:** Ag. 27, 9 *loca tuta;* H, I, 53, 10 *translatus* (exercitus) *in Galbam*, ubi praepositio «ad» exspectanda erat; II, 80, 17 *Suriam;* A. I, 79, 7 *amnem Arnum;* II, 62, 11 *hostilem in agrum;* VI, 15, 5 *cohortem;* XII, 33, 5 *Ordovicas;* XIII, 18, 15 *domum;* XV, 26, 3 *Suriam.*

translatis (Commagenis), i. e. quibus tum primum ius praetoris concessum erat, cf. Nipperdei adn.; D. 19, 5 *transtulisse se ad illud dicendi genus contendo;* A. III, 34, 18 * *ignaviam alia ad vocabula transferri.* —

3. Restat, ut de verbis **vocandi, ciendi, invitandi** dicamus. **vocare ad:**[1]) in A. II, 63, 5 *ad se;* VI, 38, 7 *ad epulas;* XII, 36, 9 *ad insigne spectaculum;* — D. 10, 26 *te — in forum et ad causas et ad vera proelia voco*; Ag. 46, 4 *ad contemplationem virtutum tuarum voces*; H, I, 15, 6 † *me — ad imperium vocatum*, idemque in H. II, 76, 8 † et A. XIII, 23, 3; H. I, 38, 7 † *non ad bellum vos nec ad periculum voco*, (cf. A. XIII, 56, 9 *nationes socias bello vocabant*); 84, 15 † *ad poenam*; A. IV, 27, 5 *ad libertatem*; VI, 40, 2 *ad pugnam*; XII, 14, 3 *ad proelium*; XIII, 6, 10 * *militiae ad labores;* similiter: *ad contionem vocare* in H. III, 32, 3; 82, 1; IV, 73, 1; A. XV, 26, 10; in H. IV, 14, 3 verba sunt: *iuventus ad dilectum vocabatur*; H. III, 70, 16 *fratrem Vespasiani mansisse in fide, donec ultro ad condiciones vocaretur,* quae verba vertenda sunt: bis er zu Unterhandlungen berufen worden sei. — In D. 13, 12 *Crispus iste et Marcellus, ad quorum exempla me vocas;* A. IV, 43, 10 * *quod si vatum annalium ad testimonia vocentur.* Recte Waltherus utrumque locum explicasse videtur, cum ad A. IV, 43 dixerit: *Nam* ***vocari*** *est verbum iudiciale, exquisite dicitur de iis, qui invitantur ad certamen, vel ut rationem reddant*... *Vocabantur Messenii ad illa testimonia h. e. invitabantur, ut certarent testimoniis. Germanice: würden sie zu Zeugnissen aus Jahrbüchern und Dichtern herausgefordert.* — In H. II, 10, 6 *ad cognitionem senatus vocabat*; A. II, 50, 7 *in se iacta nolle ad cognitionem vocari*, i. e. ad senatum vocari, qui de iis cognosceret; nos dicimus: eine Sache vor die Entscheidung des Senats bringen. Itaque etiam in A. I, 6, 20 verba sunt: *cuncta ad senatum vocando.* — Simillime e sermone forensi formulam desumpsit: **provocare ad imperatorem vel ad senatum,** hoc in A. l. XIV, 28, 4, illud in l. VI, 11, 9. **revocare ad:**[2]) in Ag. 9, 20 *ad spem consulatus;*

---

[1]) **vocare in:** D. 3, 20 et 10, 26 *forum;* 36, 30 *invidiam, crimen;* H. III, 13, 3 *principia;* 68, 19 et A. XIII, 5, 5 *Palatium;* H. IV, 14, 10 *sacrum in nemus;* A. I, 7, 10 *curiam;* XII, 1, 11 *consilium.* — A. I, 11, 3 *in partem curarum ab illo vocatum;* II, 34, 8 *vocata in ius Urgulania.*

[2]) **revocare in:** A. XIV, 54, 12 † *animum.*

A. XV, 62, 7 *ad firmitudinem.* **invitare ad**: in A. XIV, 4, 11 *ad epulas.* **cieri ad**: in H. II, 29, 10 *quo miles ad belli munia cietur.* **exciri ad**: in H. IV, 21, 12 *excita nuntiis Germania ad praedam famamque.* Postremo monendum est locum in H. III, 50, 12 solum esse, ubi «ad» cum verbo, quod est **adsciscere,** coniunctum sit; verba sunt: *ad has copias — optimus quisque adsciti.* Omnibus enim reliquis locis praepositio «in» vel «inter» pro «ad» posita est.[1]) —

II. Sed non solum ex verbis, verum etiam ex **adiectivis substantivisque** praepositio «ad» pendet, cum notio verbalis, quae his nominibus inest, eandem praepositionem desiderasset. Ad nomina autem accedat praepositio necesse est, ut notio eorum suppleatur. Qua in re iterum cavendum ne participium supplendum esse putetur, quo praepositio excusetur: sola vi significationis, quam nomen habet, efficitur, ut praepositio adponi possit.

1. **Adiectivorum** solum est exemplum in A. I, 57, 8, ubi legitur: *sacerdos — creatus ruperat vittas, profugus ad rebelles.*[2])

2. Quod ad **substantiva,** de simili usu iam supra (p. 7 et 8) vidimus. Huc referenda sunt: **iter ad**:[3]) in H. II, 85, 17 *susceptum ad Vespasianum iter*; 95, 11 *unum ad potentiam iter* (sc. erat); A. XI, 1, 10 *parare iter ad Germanicos exercitus.* **via ad** similiter dicitur in H. III, 49, 6 *viam sibi ad potentiam struere.* **aditus ad**:[4]) in H. V, 8, 4 *ad fores tantum Judaeo aditus*; A. II, 28, 2 *aditum ad principem postulat*; IV, 68, 8 *ad quem non nisi per Seianum aditus.* **transitus ad**: In H. I, 76, 9 *facili transitu ad proximos et validiores.* **concursus ad**: in A. I, 39, 9 *concursu*

---

[1]) **adsciscere sive adscire in**: H. I, 15, 4 † *penates;* 22, 14 *imperium;* 25, 7 *conscientiam;* II, 53, 5 *senatum;* III, 5, 5 et A. I, 60, 10 *commilitium;* H. IV, 27, 7 *societatem;* A. I, 31, 22 et II, 60, 8 *cognomentum;* III, 30, 7 *nomen;* XI, 11, 11 *imperium et cognomentum;* 24, 3 † *civitatem Romanam et in familias patriciorum;* 25, 5 *numerum patriciorum;* — **inter**: Ag. 9, 2 *patricios;* A. I, 73, 7 *inter cultores.* **Itaque ad res abstractas praepositio «in», ad personas «inter» pertinere videtur.**

[2]) Similiter in H. III, 61, 8 *in castra refugi;* cf. A. XIV, 4, 6 *obvius in litora.*

[3]) A. II, 81, 11 *tutum in urbem iter concessum est.*

[4]) **aditus in**: A. II, 20, 4 *silvam;* cf. III, 64, 2 *festinati in urbem reditus;* H. I, 6, 7 *introitus in urbem;* A. IV, 41, 3 *adsiduos in domum coetus;* H. IV, 18, 23 *effugium — in castra*; A. XIV, 5, 15 *lenioris in mare iactus*; H. I, 22, 11 *in Hispaniam comes;* H. IV, 4, 9 *in Sarmatas expeditio.*

ad ianuam facto, quibus simplex verbum circumscribitur, ut ablativus ille absolutus solo participio perfecti passivi effectus, de quo Wölfflinus in Philol. XXV, p. 115 disputavit, vitetur; IV, 63, 1 *concursus ad exanimos* (sc. esse). **regressus ad**: in A. IV, 11, 4 * *nullo ad paenitendum regressu.*

Quo etiam referendus est locus in H. III, 80, 5 *mox vocato senatu deliguntur legati ad exercitus,* ad quem, ne quis putet, quadrare, quod Handius in Tursellino I, p. 121 disseruit. Nam de eo usu praepositionis ibi agit, quo negotia hominum servorumque officia nominentur, qualia dicantur in inscriptionibus: ad unguenta, ad vestem, ad argentum et quae sint similia. Quo similem usum pertinere, cum dicatur *comparare ad aliquid,* quod ego minime concedendum esse arbitror, cum postea contendat esse, quae dictionis originem monstrent diserte expressam in notione loci, quem homines negotii causa obtineant. Quamquam hoc negari non potest, tamen certe huc non pertinet aliamque originem trahit ille usus vocis *comparare ad aliquid,* de quo v. s. l. C. I, 6, a. Inter exempla quibus sententiam confirmaret, etiam Livianum locum attulit ex l. VII, 5, 9 *cum — placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri,* quem ita — et meo quidem iudicio recte — interpretatus est, ut «ad» pro «apud» positum esse adseveraret. Qui locus, quamvis ei, de quo sermo est, simillimus esse videtur, prorsus aliter comparatus est. In Taciteo enim loco, quo minus «ad» pro «apud» accipiatur, duabus causis non obscuris prohibetur, quarum prior est, ut facile intellegitur, quod contra sensum esset, (nam *legati* non sunt legati legionis sed ad exercitum missi), altera, quod omnino usus ille raro tantum apud Tacitum et certa plerumque in formula invenitur, de quo v. inferius p. 30. Ita potius explanandum, ex notione mittendi, quae vocabulo *legatus* contineatur, praepositionem pendere, ut ne de zeugmatis quidem genere cogitandum sit. Similiter nos verba: Abgeordnete an das Heer, usurpare possumus. —

III. Sunt quaedam exempla, in quibus «ad» pro **contra** vel **adversus** usurpatum esse videatur, quamquam, si accuratius verba considerantur, idem praepositionem valere apertum est, quod in omnibus locis, de quibus supra vidimus. Hoc iam eo apparet, quod plerumque non alia sunt verba, post quae praepositio sequitur, quam verba iam supra nobis tractata. Praepositionis vis cum non mutetur, in eo solum positum est, ut pro «contra» dici videatur,

quod vocabulis, quae ex praepositione pendent, hostilis notio inest aut quod propter nexum sententiarum de hostili impetu cogitari potest, numquam autem in ipsa praepositione hostilis notio posita est. Non separassem haec exempla a superioribus, nisi a vetustioribus grammaticis, quos iam Handius in Turs. I, p. 84 refellit, hanc vim praepositionem «ad» habere adseveratum esset.[1]) **pergere ad**: in H. IV, 26, 12 *nec ausi ad hostem pergere*; idemque in A. IV, 47, 4. **Contendere ad**: in H. IV, 57, 1 *Vocula — ad hostem contendit.* **ruere ad**: in H. III, 79, 6 *incautum et tamquam ad victos ruentem Vitelliani — excepere.* **inrumpere ad**: in A. XI, 17, 2 *non enim inrupisse ad invitos*; in H. I, 79, 3, ubi codicis scriptura est: *ad Moesiam inruperant*, recte Halmius praepositionem «ad» eiecisse videtur, cum Tacitus, si de inrumpendo in terram sive locum diceret, semper solo accusativo ex verbo pendenti usus sit, et non nisi si de personis loqueretur, praepositiones «ad» (loco modo laudato) et «in» posuerit. De his accurate disputavit Wölfflinus in Philol. XXVII, p. 138, qui in enumerandis locis A. II, 11, 12 *densissimos inrumpens*, — fortasse consulto — omisit, ubi de personis quidem sermo est, sed potius de loco cogitatur, quasi verba essent: ubi densissime hostes coartati erant. Similiter in A. I, 51, 14 *novissimos incurrere*, (cf. Sall. Jug. 97, 4 *in nostros incurrunt;* 101, 8 *Mauris incurrit*). **ferre ad** in H. III, 27, 8 *tertiadecumanos ad Brixianam portam impetus tulit,* ubi de loco solum agitur. **ducere ad**: in H. IV, 58, 25 † *si ad moenia urbis Germani Gallique duxerint*; A. I, 60, 13 *ductum*

---

[1]) Multo saepius praepositio «in» verbis, quae hostilem notionem aut per se ipsa aut nexu ceterorum verborum habeant, adiungitur, cuius usus exempla ex scriptis Taciteis hic proferre longum esset, nam numero fere sexcenta sunt. Paucos tantum locos, qui insolentius dicuntur, adscribere liceat: H. IV, 31, 5 *quis nec amor nec odium in partes;* quo cum loco confer H. II, 48, 6 *studio erga se aut in Vitellium contumeliis;* H. I, 20, 15 *nec remedium in ceteros fuit;* A. I, 52, 2 *futuri in Agrippinam exitii;* VI, 15, 4 *literae in Sex. Vistilium,* et saepius; 15, 19 *datis quibusdam in Scaurum tristibus notis;* 24, 7 *in Pompeiam Macrinam exilium statuitur;* XII, 22, 14 *in Lolliam mittitur tribunus,* et saepius; XV, 10, 8 * *sed corpora et arma in hostem data;* XVI, 8, 6 *qui in Lepidam Cassii uxorem, Silani amitam, incestum confingerent,* et saepius; 16, 8 *ira illa numinum in res Romanas fuit;* 21, 4 *accedentibus causis in Thrascam;* A. IV, 10, 9 *veneni in patrem arguens;* 28, 9 *mortem in se festinavit;* H. I, 2, 19 *conrupti in dominos servi, in patronos liberti.*

inde agmen ad ultimos Bructerorum; II, 52, 15 *ad hostem duxit.* — Semel etiam in oratione obliqua in A. I, 44, 2 * invenimus: *duceret in hostem.* —

IV. Similiter de iis locis indicandum, quibus «ad» pro **usque ad** positum esse existimatur. Alio enim loco iam vidimus proprie cogitando adverbium «usque» supplendum semper esse, si «ad» de perveniendo ad finem dicitur, cum haec significatio in praepositione posita non sit. Multis autem locis non amplius de ea re cogitamus, cum simillime nobis praepositio «zu» ex usu sit. Sunt autem nonnulla verba, post quae nos «bis zu» desideramus, Latinis non magis iam adverbio «usque» opus esse videbatur, quam post ea verba, quae supra commemoravimus. Igitur diversitas inter haec atque illa sola in nostra lingua sita est. **penetrare ad:**[1]) in A. I, 70, 20, *penetratumque ad amnem † Visurgin,* (cf. A. XV, 20, 3). **contra ire ad**: in A. XI, 10, 5 *contra itum ad amnem Erinden.* **promoveri ad:**[2]) in H. II, 39, 7 *ad quartum — castra;* A. XI, 24, 9 † *omni Italia in senatum accitos*, *postremo ipsam ad Alpes promotam.* **progredi ad**: in H. III, 15, 14 *ad octavum a Bedriaco;* 35, 2 *ad tertium lapidem.* **perferre ad:**[3]) in A. XVI, 13, 4 *pertulitque violentiam ad vicina urbi.* **subigere ad**: in A. XI, 10, 7 *medias nationes subegit ad flumen Sinden.* A. XII, 24, 7 **interiecti** *lapides — ad aram Consi, mox curias veteres, tum ad sacellum Larundae.* **porrigi ad:**[4]) in A. II, 56, 3 *penitus ad Medos porrigitur.* **patescit ad:**[5]) in A. II, 61, 9 *rubrum ad mare patescit.* Quo etiam pertinet A. II, 60, 16 *quasque terras Suri — colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare imperio tenuisse.* —

Sed sunt etiam loci, ubi, ipsum **usque ad** locali sensu scriptum sit: in Ag. 22, 2 *vastatis usque ad Tanaum — nationibus*; G. 34, 4 *utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur*; H. II, 12, 2 *possessa — maiore Italiae parte penitus usque ad initium maritimarum Alpium*; III, 71, 4 *erigunt aciem — usque ad primas Capitolinae arcis fores*; A. II, 8, 5 *usque ad Amisiam — pervehitur,* (cf. H. II, 4, 8; V, 16, 17); 41, 8 *usque ad Albim colunt*; IV,

[1]) Cf. H. IV. 7, 8 *ut in cuiusque vitam famamque penetrarent.*

[2]) Cf. Ag. 14, 9 *castellis in ulteriora promotis.*

[3]) Cf. A. VI, 34, 23 *inque Solis aram perferre.*

[4]) Cf. A. XIII, 38, 14 *pars in planitiem porrigebatur.*

[5]) Cf. H. II, 81, 9 *quantum introrsus in Armeniam patescit;* — G. 30, 3 *ceterae civitates, in quas Germania patescit.*

5, 9 *usque ad flumen Euphraten, quantum — ambitur*; 47, 10 *continuum usque ad proximum castellum*; XIII, 40, 14 *adsultare — non usque ad ictum teli*; XV, 42, 8 *fossam usque ad ostia Tiberina depressuros promiserant.* — Ad quae accedunt exempla, ubi ad **abstractas notiones** «usque ad» pertineat, cum antea prorsus eadem ratione simplici praepositione usum esse Tacitum cognoverimus:[1]) **progredi usque ad**: in H. II, 23, 7 *usque ad — seditionem progressam.* **venire usque ad**: in A. XIV, 42, 7 *usque ad seditionem ventum est.* **penetrare usque ad**: in A. XV, 20, 3 *usque ad contumeliam senatus penetraverat.* **pervenire ad — usque,** servata antiqua collocatione (cf. s. l. B. b) in D. 8, 9 *ad quam usque fortunam homines — pervenerint.* —

V. Paulo aliter usus ille comparatus est, si directionis minus ratione habita in vicinitate loci et in remanendo in vicinitate eius summum momentum positum est, tamen ut facile sit intellectu, inesse directionis vim, cum in iis locis, ubi «ad» praepositionis «apud» vice fungitur de significatione directionis omnino non amplius cogitatur. Quem ordinem exemplorum Handius in Turs. I, p. 89 ita comprehendit: significare «ad» coniunctionem rerum, quae annexae vel appositae essent vel admotae viderentur. Itaque si exempli causa in A. XV, 57, 9 legimus: *vinclo — in modum laquei ad arcum sellae restricto,* non tam interest, num vinculum usque ad arcum sellae referatur, sed num in arcu religatum sit maneatque; similiter in G. 3, 8 *obiectis ad os scutis*; A. XV, 58, 15 *iam manum ad capulam referentis*; similiter etiam illud *incumbere ad aliquid* intellegendum in H. III, 32, 6 *vetere odio ad excidium Cremonensium incubuit,* et in A. III, 33, 13 *incedere inter milites, habere ad manum centuriones,* nam quae quis ad

[1]) His exempla numero pauca addo, in quibus **in — usque** de loco dicatur, nam altera collocatione, ut vocabula **usque in** se excipiant, non nisi translato sensu Tacitus utitur, (cf. Wölfflinum in Philol. XXVII, p. 139): Ag. 28, 15 *donec in Chattos usque sinuetur,* quo cum loco cf. 44, 6, *civitates sitae in Oceanum;* H. I, 39, 2 *vocibus in urbem usque resonantibus.* Semel quoque in D. 17, 27, ut in primo libro in temporali praepositionis usu eandem collocationem retinuit: *in medium usque Augusti principatum.* Aliter in duobus reliquis exemplis, quae sunt in H. I, 45, 7 *usque in extremas res amicum;* III, 56, 14 *usque in extrema obstinatum.* Duobus denique locis translate verba usurpantur, in H. III, 80, 14 *usque in exitium temerasset,* et in A. II, 62, 3, solo omnino loco Annalium, in quo **usque** praepositioni **in** additum sit; verba sunt: *utque — usque in exitium insisteretur.*

manum habet, i. e. ita habet, ut manibus facile adripere possit, ea ei in promptu sunt. In hoc igitur enuntiato usum praepositionis iure ad id genus referre possumus, quo «ad» pro «apud» usurpatur. Vernacula lingua eundem usum exhibet in formula: an der Hand haben. Alia huius vocis exempla contulit Handius in Turs. I, p. 91.

c. „Ad" pro praepositione „apud" substituitur.

Iis, quae modo tractavimus exemplis iam indicatum est, qua ratione ad hunc usum, ut «ad» sit pro «apud» perventum sit. Nam etiam hac in re incipiendum est a prima significatione, quae est directionis, cui miscetur secunda, ut habeamus: pervenitur ad locum versus et tangitur locus re adpropinquanti. Deinde autem de adpropinquando nulla amplius cogitatio, atque id tantum respicitur, rem vel locum ab alia re tangi sive in vicinitate loci rem versari.[1]) Quare putaverim, non nisi cum verbum movendi antecederet, primo «ad» pro praepositione «apud» substitui potuisse, ita ut exempla eadem ratione comparata essent atque in H. III, 50, 14 *ad Fanum Fortunae iter sistunt*, quae verba ita expedienda sunt, ut cogitemus: ad F. F. itinere suscepto iter consistunt, ibi commorantur. Semper autem tenendum, contractum et quasi amputatum dicendi usum esse.[2]) — Quam sibi constarent scriptores historici in eo, utrum

[1]) Ita etiam Pottius in Etymol. Forschgn. I, p. 276 et Holtze in Syntaxi priscorum scriptorum Latin. I, p. 201 hunc usum exposuerunt, hic cum dicat: *Significatur praepositione «ad» locus, ubi res post motum aliquem aut re vera factum aut quasi factus esset cogitanda est.* — Causae, quas Forcellinius (ed. Corradini 1864) in Lexico s. v. **ad** protulit, ut proprie praepositionem «ad» eandem esse quam «apud» (apd sive abd, ad), demonstraret, ita ut exempla, in quibus «ad» pro «apud» positum esset, primariam significationem voculae continerent, facile dilui possunt. Nam quod verba numquam cum praepositione «apud» sed pro ea cum praepositione «ad» componuntur, nihil hoc effici potest, praeter quod Latini, **cum «ad» significationem praepositionis «apud» ratione supra indicata adsumpsisset,** in componendis verbis illam potius pro hac duarum syllabarum praepositione praeferebant. Quod autem nonnulli loci ex sermone vulgari inscriptionibusque desumpti extant, in quibus «apud» pro «ad» usurpatum sit, vitio linguae plebeiae factum est, sicut etiam in meridiana Germaniae parte usitatissimum est in sermone vulgari, ut praepositio «bei» cum «zu» confundatur, e. c. komm bei mich. Ceterum Pottius l. l. p. 509 aliam esse radicem praepositionis «apud» quam praepositionis «ad» satis comprobasse videtur.

[2]) Recte igitur Rudimannus, Inst. gr. lat. II, p. 282 si originem usus

hanc an illam praepositionem cum nominibus urbium coniungerent, Greefius l. l. p. 20 sqq. demonstravit simulque p. 16 et 17 exempla collegit, quibus Tacitus «ad» pro «apud» scripserit. Ut breviter repetam, in Annalibus omnino hic usus non reperitur, nisi fortasse locum illum, de qua supra diximus (A. III, 33, 13) huc referas. In Historiis autem primum tribus locis «ad» pro «apud» invenitur, ubi locorum nomina ad praepositionem pertineant: in H. I, 87, 5 *caesorum ad pontem Mulvium*; III, 6, 12 *ad Forum Alieni ponte iuncto consedisse*; 50, 14 cuius loci verba supra exscripsi. Quare miror, quod Greefius l. l. p. 21 adfirmat: Tacitum **solam** praepositionem «apud» ad significandam vicinitatem urbium nominibus adiungere, praesertim cum ipse p. 17 duos illos locos, ubi «ad» ad urbium nomina accedat attulerit.—Deinde in formula, quae est *ad duodecimum a Cremona (urbe, Bedriaco) lapidem* scripsit, quam legimus in H. II, 24, 7; 45, 1; 88, 4; III, 18, 1; IV, 11, 15; 60, 11. — Locus in H. III, 50, 11 huc non pertinet, ubi codex exhibet: *is Silvanum — specie obsequii regebat omniaque quae agenda forent quieta cum industria aderat.* Hoc loco dubium mihi esse non videtur, si verbum *aderat* servare volumus, quin «ad» ante *omnia* supplendum sit (cf. Sall. Jug. 96, 3 *ad vigilias multus adesse*). Quaeritur tantum, quae particula coniunctionis scribenda sit. Nam ipse Halmius de Puteolani lectione, quam in verba recepit: *ad omniaque quae*, dubitat, an recte dicatur, et audacius *atque ad omnia quae* coniecit, Ritterus autem: *adque omnia quae* quod verisimile esse mihi non videtur, cum *inque* quidem in *Annalibus* inveniatur,[1]) numquam autem *adque*. Quare nescio an non in verbo potius, quod est *aderat* corruptela quaerenda sit, praesertim cum *adesse ad* apud Tacitum non inveniatur, et fortasse scribendum, neque tamen ut pro certo constituere velim: *omniaque quae agenda forent quieta c. ind.* **providerat,** nam *adierat*, quod facilius restitui posse videtur, ad sensum minus convenire existimaverim.

Neque acquiescendum est in lectione Vaticani 1862, qui in G. 20, 9 habet: *sororum filiis idem ad avunculum qui ad patrem honor,* primum quod Perizonianus utroque loco «apud» exhibet,

---

consideramus, docuit, «ad» proprie significare in loco proximo, «apud» vero prope significare, quod Handius frustra refutabat; cf. Greefium l. l. p. 16 in adn.

[1]) Loci sunt in l. VI, 34, 23; XI, 13, 3; XII, 46, 10; XIII, 36, 13.

deinde quod contra dicendi usum Taciteum est. — In H. II, 91, 1 *Praeposuerat praetorianis P. Sabinum a praefectura cohortis,* codex neglegentia librarii *ad praefectura* habet. Hoc neglegentia tantum factum esse et forma vocabuli «praefectura» indicatur et quod usitata est ratio dicendi argenteae, quae dicitur, aetatis, ut nomini personae *a praefectura cohortis, a libellis, ab epistolis, a rationibus* et similia addantur, v. A. XV, 35, 7, de quo cf. Handium l. l. I, p. 59 et Friedländer, Darstellungen aus d. Sittengesch. Roms, I, p. 152 sqq. Qua de causa refellenda sententia Handii (I, p. 95), cum alienis exemplis mendum librarii defenderet. —

d. „Ad" omittitur.

In scriptore qui tantopere variationem diligit, mirum non est, quod saepius praepositionem «ad» omiserit, ubi eam exspectabamus aut ubi, si ad alios locos respicimus, re vera eam scripsit, quamquam iam verbis, quae omnia sunt cum praepositionibus composita, continetur. Nonnulla, quae huc pertinent, ei cum plurimis scriptorum communia sunt. Itaque Ciceroni raro dicitur *adire ad aliquem*, (cf. exempla apud Handium I, p. 77 et ex veterum scriptorum usu apud Holtze Synt. I. p. 198, ex aliorum scriptis apud Forcellinium s. v. *adire*), quod Livium numquam habere Drakenborchius observavit, neque saepius dixit Cicero *adire ad* vel *in locum.* Tacitus autem nullo loco praepositionem habet, neque si ad personas neque si ad locum verbum refertur.[1]) Nonnulla tantum exempla adferam, in quibus ad locum pertinet, cum multa alia reperiri possint: in G. 1, 9 *pluris populos adit* (Danuvius); 21, 10 *proximam domum non invitati adeunt*; H. I, 23, 10 *Campaniae lacus et Achaiae urbes classibus*; 52, 3 *hiberna legionum*; A. II, 13, 2 *castrorum vias*; itaque etiam ad res abstractas accedit: in G. 24, 9 *voluntariam servitutem*; 38, 13 *bella*; A. I, 39, 25 * *quantum dedecoris adierit legio*; A. II, 48, 8 *neque hereditatem cuiusquam adiit*, quam e sermone iudiciali desumptam vocem etiam Cicero habet, (cf. exempla apud Forcellinium s. v. adire). Contra

[1]) Uno tantum loco, qui est in A. IV, 36, 4, praepositio **in** ad verbum adeundi pertinet, tamen ut accusativus, quo verum obiectum verbi efficitur, simul positus sit; verba sunt: *ut — Drusum — adierit Calpurnius Salvianus in Sextum Marium,* quae Rothius bene vertit: *dass Calp. Salvianus in einer Sache gegen Sext. Marius vor Drusus — kam.*

post substantivum *aditus* sequi «ad» supra vidimus. — **advehi:** in A. II, 45, 11 *ut quosque advectus erat;* A. III, 1, 1 *Corcyram insulam advehitur,* ad quos locos Nipperdeius alia exempla attulit. **accedere:**[1]) in A. XII, 31, 11 *quia societatem nostram volentes accesserant.* Etiam ad hunc locum Nipperdeius reliquos locos Taciteos, qui huc pertinent, aliosque locos contulit. De voce *accedere ad* et de loco A. XII, 51, 11 v. supra p. 12 et s. l. C. II, a, 3. **succedere:** in A. II, 20, 7 *ut si murum succederent,* de quo ad Bötticheri Lex. Tac. sub v. reicio. **advolvi:** in H. IV, 81, 5 *genua eius advolvitur;* A. I, 13, 22 *Tiberii genua advolveretur;* VI, 55, 6 *genua patrum*; XV, 71, 3 *genua ipsius,* quibuscum conferantur loci in A. I, 23, 3 *pedibus advolutus*; 32, 8; XI, 30, 2; XII, 18, 8 et quos Böttickerus p. 15 et sub v. *provolvere* contulit.

Nonnumquam etiam dativus pro praepositione cum accusativo iuncta usurpatur. Nonnulla exempla iam sub v. *advolvi* commemorata sunt. Cum autem verba **advenire** et **adventare** cum dativo construantur, ex dativo, qui dicitur commodi, explicandum esse usum apparet, ita in A. I, 18, 8 *properantibus Blaesus advenit;* VI, 39, 10 *qui Parthis adventabant,* aliisque in exemplis, cum tamen miro modo in A. VI, 50, 7 constructio sit: *multa manu propinqua Seleuciae adventabat* (cf. Nipperd. ad h. l.). — In his autem exemplis dativus non nisi vice praepositionis locali sensu fungitur:[2]) **admovere** in A. XIII, 54, 3 *inbellem aetatem per lacus admovere ripae.* **adpellere** in A. III, 9, 7 *quia navem tumulo Caesarum adpulerat.* **adsultare** Ag. 26, 6 *adsultare tergis pugnantium iubet;* A. II, 13, 15 *adsultatum est castris;* contra in A. I, 51, 14 *latera et frontem modice adsultantes.* **adicere** in A. II, 65, 9 *foederi convivium adicit;* XV, 55, 17 *adicit dictis constantiam,* al. v. apud Böttickerum p. 40. **adpressus** in A. II, 21, 5 *scutum pectori adpressum.*

Etiamsi numerus locorum, quos attuli, quod ad quaedam verba attinet, augeri potest, tamen id tenendum, hunc usum in Annalibus maxime, ut in ultimo scripto Tacitum sequi.

---

[1]) De «incedere» cf. Bötticheri Lexicon Taciteum p. 15.

[2]) Cf. A. II, 23, 3 *Oceano invexit;* IV, 14, 7 *templo Aesculapii induxerant;* Ag. 37, 27 *ferocia equi hostibus inlatus,* al.

B. „Ad“ sensu temporali positum.

a. De directione ad tempus versus dicitur.

Cum omnino «ad» temporali vi usurpatum non saepe apud Tacitum inveniatur, si locos cum multitudine eorum locorum comparamus, in quibus eadem praepositio de loco valet, tamen mirum est, quod eius significationis, de qua nunc agendum est, ubi fere sit: gegen hin, unum tantum exemplum extat, quod legimus in A. II, 21, 14 *ad noctem cruore satiatae sunt.*[1]) Eodem sensu aliis locis praepositionem «sub» esse voluit, sed non nisi in formula illa *sub idem tempus,* quae verba omnibus locis in initio posita sunt, (loci autem fere omnes in Annalibus reperiuntur: in H. II, 8, 1; IV, 48, 1; A. II, 27, 1; III, 48, 1; 64, 1; IV, 16, 1; VI, 26, 1; XI, 8, 1; XII, 56, 1; XIV, 17, 1; XV, 7, 1), ut saepius Tacitus quibusdam formulis capita incipere solet, aut quibus utitur, si omnino ad novam rem pergit, quo etiam pertinet formula *per idem tempus.*[2]) Ut hoc statim addamus: potest etiam significare praepositio «sub,» aliquid eodem tempore vel simul cum alia re factum esse, cuius usus duo exempla apud Tacitum reperimus, in H. I, 52, 1 *Sub ipsas superioris anni kalendas Decembres — hiberna legionum — adierat,* ubi adpositum pronomen, qua ratione intellegenda sit praepositio, ostendit. Simillimum locum habet A. liber VI, 30, 19 *sub verbere centurionis, inter servorum ictus extrema vitae alimenta frustra orantem.* Tum autem eiusdem praepositionis vis esse potest: statim post aliquod tempus, ut nos dicimus: unmittelbar auf, cum propria sit significatio praepositionis accedendi ad locum, qui super eum locum, in quo accedens versatur, prominet. Quod eodem iure de tempore dicitur, simulque autem locus

---

[1]) Perpauca etiam exempla sunt, in quibus **in** hoc sensu, qui proprie a significatione praepositionis abhorret, a Tacito positum sit: in H. III, 86, 13 *praecipiti in occasum die* et in A. I, 16, 14 *flexo in vesperam die,* ubi praepositionem **ad** potius exspectaremus.

[2]) Loci in solis Annalibus reperiuntur: in l. II, 42, 20; 68, 1; III, 29, 1; IV, 22, 1; 37, 1; 71, 17; VI, 5, 1; 16, 11; 47, 1; XI, 18, 1; XII, 10, 1; 29, 1; XIII, 26, 1; 44, 1; XV, 46, 1, cf. IV, 42, 1. Quae consuetudo vel maxime natura atque indole **annalium** excusatur.

ille prominens ab utraque parte adiri adscendique potest, quo fit, ut, si de tempore sermo est, et de tempore ante et de tempore post finitum illud tempus praepositio ponatur. Itaque «sub pugnam Cannensem» significare potest: paulo ante et paulo post pugnam, nam si hoc exprimitur, narrationem in tempore post pugnam versari, si illud, versari ante pugnam cogitatur. Ac duobus locis Tacitus hunc usum sibi vindicavit: in A. IV. 63, 9 *sub recentem cladem patuere procerum domus;* XV, 23, 15 *senatu Antium sub recentem partum effuso*, quorum utroque in exemplo propter vocabulum «recentem» dubitatio exsistere nequit, quomodo praepositionem interpretemur. Sed post hanc digressionem transeundum est ad eum usum, si:

b. „Ad" de perveniendo ad tempus dicitur.

Nos plerumque vertimus per «bis zu,» et ipse Tacitus nonnumquam «usque» addidit. Atque in his primum de eo usu videamus,

1. cum «ad» ex **verbis,** quibus ipsis temporis notio plerumque iam inest, pendeat:[1]) **venire ad:** in Ag. 3, 15 *quibus* (annis) *iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos — venimus.* **pervenire ad:** in A. III, 55, 14 *pecuniosam ad senectam.* **procedere ad**: in A. VI, 16, 4 *aetas ad octogensimum annum processit,* quibus omnibus a locali significatione ad tempus praepositionem translatam esse perspicuum est. **detinere ad:** in A. VI, 29, 9 *cum se miserandis alimentis — nonum ad diem detinuisset.* **producere vitam ad:** in A. III, 24, 11 *plures ad curas* ex more Taciti quodam modo inexspectate dictum, cum post verba *producere vitam* temporis notionem desideremus, cuius locum *curae* explent, i. e. mihi in scribendo proposita, (cf. Nipperdei. ad Ann.

---

[1]) Praepositione **in** rarissime Tacitus in posterioribus scriptis, saepius in minoribus ita utebatur, quod exempla demonstrant: in D. 17, 6 *CXX anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur,* eademque verba in c. 24, 15, ubi pro verbo *colliguntur*: *effici* positum est; Ag. 20, 9 *quae in illum diem ex aequo egerant;* 30, 13 *in hunc diem defendit;* 44, 14 *durare in hanc beatissimi saeculi lucem;* G. 14, 3 *infame in omnem vitam ac probrosum est;* 22, 1 *somno, quem plerumque in diem extrahunt;* 45, 3 *solis fulgor in ortum edurat;* H. I, 77, 5 *consul — in kalendas Martias ipse,* ubi v. Heraei adn.; III, 2, 14 * et II, 32, 14 *tractum in aestatem bellum;* A. II, 65, 9 *tractaque in multam noctem;* XIII, 9, 20 *quae in alios consules egressa coniunxi.* — De temporali illo *usque in* v. p. 28, in adn. 1.

IV, 11, 4). — **durare ad:** in D. 17, 28 *Corvinius in medium usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum duravit,* ubi inter «in — usque» et «ad» variatur; A. III, 16, 8 *nostram ad iuventam.* — Cf. Ag. 44, 14 et G. 45, 3 p. 34 in adn. **manere ad:** in H. I, 30, 16 † *ad hunc diem.* **computare ad:** in G. 37, 8 *ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus.* —

2. Quibus exemplis reliqua adiungo, ubi non tam ex singulis verbis quam ex totius sententiae vi praepositio pendeat: in H. IV, 64, 6 † *nam ad hunc diem flumina ac terras et caelum — clauserant Romani;* similiter in A. I, 15, 2; IV, 6, 2; XV, 32, 3; XVI, 28, 3 *; I, 80, 3 *ac plerosque ad finem vitae in isdem exercitibus aut iurisdictionibus habere;* II, 18, 3 *quinta ab hora diei ad noctem caesi hostes;* III, 55, 2 *luxusque mensae a fine Actiaci belli ad ea arma — exerciti;* XII, 42, 12 *unicum ad hunc diem exemplum est;* valde formulas amat, quae sunt *ad id tempus* et *ad id*, (de quibus cf. Handii Turs. I, p. 124 et 125): in Ag. 10, 16 *incognitas ad id tempus insulas*, similiter in c. 24, 12; A. XIII, 51, 2; 53, 1; A. XII, 11, 9 *spectatae ad id modestiae,* similiter in c. 38, 5. — De formula, quae pro adverbio usurpatur in A. IV, 61, 3 *qua ad vixit,* et in l. VI, 57, 12 *qua ad fuit,* et de eius scriptura cf. Orellii adn. in commentario critico. Est enim alia lectio pro *quo ad,* quae etiam in inscriptionibus invenitur. —

3. Addenda sunt exempla, quibus **usque ad** temporali vi scriptum sit: in D. 19, 2 *quatenus — terminum antiquitatis constituere solent usque ad Cassium Severum;* G. 38, 9 *usque ad canitiem horrentem capillum † retro sequuntur;* 42, 6 *usque ad nostram memoriam reges manserunt;* H. I, 84, 28 † *a regibus usque ad principes continuum;* III, 72, 22 *Lutatii Catuli nomen — usque ad Vitellium mansit;* IV, 21, 8 *fidem et arma usque ad supremum spiritum retenturos;* V, 10, 1 *Duravit tamen patientia Iudaeis usque ad Gessium Florum procuratorem;* A. IV, 38, 10 † *ut mihi ad finem usque vitae — duint,* ubi Tiberius, ut antiquam formam verbi, ita antiquam collocationem retinebat, quae etiam in Ag. 14, 5 (*is ad nostram usque memoriam fidissime mansit*); et in H. III, 82, 16 *Vitelliani ad serum usque diem — arcebant.* De «usque in» v. p. 28.

Igitur cum omnes locos perspexerimus, tum — quod ego quidem, si magnum reliquorum locorum numerum (XXII) respici-

mus, casu factum esse negaverim — elucet, nullo loco Historiarum exceptis duobus, qui in orationibus rectis reperiuntur, Tacitum sola praepositione «ad» temporali vi usum esse.

4. Similiter ac iam supra vidimus, etiam in hoc genere praepositio ad supplendam notionem substantivi pertinere potest, cuius rei exempla tamen rarissima: In A. I, 8, 6 *in spem secundam nepotes pronepotesque, tertio gradu primores civitatis scripserat, plerosque invisos sibi, sed iactantia gloriaque ad posteros;* quem locum ut recte intellegamus in eo positum est, qua ratione *gloria* accipiamus. Quod vocabulum Nipperdeius quidem in adn. ad A. I, 43, 17 pro «Ruhmbegierde» dictum esse putavit, non recte, ut videtur. Nam conferendus est alius locus in A. XI, 6, 3, in quo iam Spitta, de Tac. in compon. enunt. rat. p. 60 veram lectionem in margine adscriptam restituit adprobante Wölfflino in Philol. XXVI, p. 113: ibi enim verba sunt: *qui famam ad posteros praemia eloquentiae cogitavissent;* fama igitur ea indicatur, quae usque ad tempus posteritatis durat vel pertinet. Eodem modo in loco, de quo agitur, verba «gloria ad posteros» intellegenda et inter se coniungenda, cum «iactantia» pro se dicta sit. Constructio verborum autem est ablativi causalis et non nisi diversitate nostrae linguae fit, ut dicendum nobis sit: «aber er that das **aus** Prahlerei und **wegen** des Ruhmes auf die Nachwelt,» qua de causa in ablativo nihil difficultatis. Sed profecto opus non erat coniectura Ritteri, qui «apud» scribere mavult, quod iure Wölfflinus l. l. refellit. Simillimus est locus in H. III, 80, 5 quem supra accuratius tractavimus. Neque recte de his locis Handius in Turs. I. p. 95 disputavit, Walchius autem, qui in Emendationibus Livianis p. 46 de similibus locis Livianis Taciteisque disseruit, recte addidit: in his locis Graecorum consuetudinem et antiquae locutionis usum historicis studiose quaesitum suppleri quid vetare. —

5. Denique restat, ut quasdam formulas adferamus, in quibus «ad» temporis notioni adiungatur, tamen ut significatio praepositionis mutetur.

Sic **ad tempus** dicitur pro «für einige Zeit, eine Zeit lang,» quem usum iam Ciceronem habere Handius in Turs. I, p. 127 demonstravit. Exempla Tacitea sunt in D. 32, 1 *Nec quisquam respondeat sufficere ut ad tempus simplex quiddam et uniforme doceamur;* A. IV, 19, 2 *hos corripi dilato ad tempus Sabino placitum.* Nipperdeius non prorsus recte vertit: «für den Augenblick,

für jetzt.» Id quod volebat, verba **ad praesens** exprimunt, quam formulam octies Tacitus scripsit: in H. I, 85, 3 *compositique ad praesens, qui coerceri non poterant;* III, 29, 5; A. IV, 31, 14 *aspere acceptum ad praesens;* 40, 33 †; XIII, 22, 7; XIV, 6, 9; 62, 13; XVI, 5, 15. — Hunc usum argenteae tantum aetatis esse Handius l. l. p. 128 exemplis probavit. De origine talium formularum certi quicquam constituere non audeo, cogitari potest de circumscriptione dativi commodi, potest etiam de «ad» illo, quod est in formula *quod attinet ad,* sed de his nobis non amplius quaerendum est. —

C. „Ad" sensu translaticio positum.

I. De directione ad rem versus dicitur.

Translaticius huius praepositionis usus frequentissimus ut apud omnes scriptores ita apud Tacitum. Itaque

1. saepius praepositione utitur, ut numerum aliquem ad certum numerum proxime accedere exprimat, tamen ut non prorsus eandem multitudinem comprehendat. Exempla omnia, quamquam numero pauca ita comparata sunt, ut ad praepositionem *milia* cum genetivo substantivi vel participii pertineat: in Ag. 37, 25 *caesa hostium ad decem milia;* H. I, 61, 7 *ad quadraginta milia armatorum data;* 63, 7 *caesa tamen ad quattuor milia hominum;* A. XIV, 33, 14 *ad septuaginta milia civium et sociorum — cecidisse constitit.* Acidalii coniecturam in H. I, 79, 3[1]) pro: *magna spe ad Moesiam inruperant, novem milia equitum: Moesiam inruperant, ad novem milia eq.,* iure Woelfflinus in Phil. XXVII, p. 138 ex sensu totius loci refellisse mihi videtur. Num interpretatio, quam Handius in Turs. I, p. 103 quibusdam locis Livianis et Caesurianis probandam esse demonstravit: «ad» adverbialiter positum esse pro «circiter,» in Taciteis etiam valeat, dubito, quippe pro qua explicatione nullum argumentum proferri potest. Nam *milia* quidem semper in accusativo dicitur, toto autem enuntiato, e. c. verbis *ad quatuor milia hominum* subiectum sententiae efficitur.

---

[1]) de hoc loco v. p. 26.

2. Ex ea significatione praepositionis, quae directionem ad rem versus exprimit, ut e. c. dicitur: ad rem aliquam oculos referre, etiam ille usus explicandus est, si verba sunt **intentus ad aliquid,** in quo nos praepositionem per «auf» vertimus, (cf. Handii Turs. I, p. 82). Loci sunt: in H. II, 67, 9 *numquam ita ad curas intento Vitellio;* III, 63, 4 *ad proelium;* IV, 2, 2 et A. IV, 67, 16 *ad curas;* A. XI, 29, 9 *ad occasiones;* XIV, 24, 14 *ad iussa.*[1]) —

3. Itaque praepositio usurpatur, si exprimendum est, rem vel personam conversam sive obversam esse rei vel personae h. e. pronam ei esse.

a. Cum **verbis** «ad» ita coniungitur, quae sunt: **inclinare ad:**[2]) in D. 28, 28 *sive ad rem militarem sive ad iuris scientiam sive ad eloquentiam studium inclinasset;* H. I, 81, 6 *inclinatis ad suspitionem mentibus;* II, 1, 12 *ad credendum;* 45, 6 *ad praenitentiam inclinantibus;* IV, 49, 5 *ad gratiam interfectoris;* 68, 24 *ad mitiora;* in priore parte Annalium non reperitur; in l. XIII, 20, 11 *ad laudes Senecae;* 34, 17 *illud magis ad servitium;* XIV, 38, 10 *ad pacem.* Itaque cum Tacitus praepositionem «ad» cum hoc verbo, si de rebus, praepositionem «in» — ut ex exemplis in adn.[2]) conlatis intellegitur — si de personis diceret, coniunxerit, (cf. sub vv. «pronus» et «promptus»), locum in A. XI, 10, 18, ubi Mediceus habet: *Multi agordazen inclinabant, quidam ad Meherdaten,* emendandum esse putaverim: *Multi in Gotarzen* (cf. XII, 13, 4) *incl., qu. in Meherdaten,* pro qua lectione editores «ad» scripserunt, et in A. XIV, 52, 3 pro verbis: *Nero ad deteriores inclinabat,* eadem causa permotus sic restituo: *N. in deteriores incl.* **profluere ad** in A. XI, 26, 2 *ad incognitas libidines.* **niti ad** in Ag. 6, 3 *ad maiora.*

b. Eodem sensu praepositio post **adiectiva** sequitur: **pronus ad:** in H. I, 5, 6 *ad novas res;* II, 21, 7 *ad suspitiones;* 33, 4

---

[1]) Ceterum compluribus quoque locis cum dativo hoc adiectivum coniungitur, e. c. in H. IV, 69, 17; V, 10, 8; A. I, 31, 7, quod v. apud Bötticherum in L. T. p. 281; cum praepositione **in** in H. IV, 18, 1 *Gallias Germaniasque;* 51, 8 *Italiam resque urbis;* A. VI, 25, 10 *maerorem cuiusque.*

[2]) **inclinare in:** in H. II, 30, 11 *Caecinam;* 53, 13 *Vitellium;* III, 12, 11 et IV, 13, 13 *Vespasianum;* A. II, 56, 6 *Zenonem;* IV, 20, 14 *hos;* XII, 13, 4 *Gotarzen;* cf. **inclinatio in:** in H. II, 92, 8 *hunc aut illum;* IV, 81, 3 *Vespasianum.* Itaque praepositione **in** tum tantum usus est, si de personis loqueretur.

ad decertandum; IV, 71, 10 *ad officia;* 83, 19 *ad formidinem*; in Annalibus uno tantum loco invenitur in l. XI, 36, 6 *pronum ad misericordiam Caesarem;* numquam personarum nominibus verba *pronus ad* adiunguntur, sed si de inclinatione erga personas dicendum est, praepositio «in» substituitur, cf. H. I, 6, 15; 13, 21; II, 58, 7; 74, 5; IV, 27, 16; A. II, 73, 16 praeterea ll. in Ag. 6, 9 *in omnem aviditatem pronus;* H. I, 69, 7 *in misericordiam;* IV, 76, 12 † *in arma;* et Ag. 41, 17 *pronum deterioribus principem.* **promptus ad.** Hoc contra adiectivum in Annalibus loco adiectivi, quod est *pronus,* fungi videtur, nam quod ad significationem vix discrimen apud Tacitum statui posse existimaverim. In Historiis uno loco legimus, qui est in l. II, 99, 8 *tanto ad discordias promptior*; A. I, 29, 12 *promptum ad asperiora ingenium;* II, 55, 27 *ad mala obsequia;* IV, 16, 17 *ad capessendas caerimonias;* 47, 16 *ad pericula;* VI, 5, 6 *ad nova et mira;* XVI, 14, 4 *ad caedes;* 26, 4 *ad scelus.* Etiam ad hoc vocabulum additur «in», si de personis dicitur: in A. XIII, 8, 13 *in Corbulonem promptiora erant;* cf. Ag. 35, 15; A. XIV, 5, 14; XV, 25, 20; 61, 5 * ubi cum rebus praepositio «in» coniungitur; et A. I, 2, 9; 48, 12; II, 78, 1; IV, 46, 13; XI, 8, 8; 32, 3; XII, 4, 8 ubi dativus sequitur. **praeceps ad:**[1]) in A. XVI, 21, 3 *praeter animum ad flagitia praecipitem,* prorsus eodem modo dictum ac *promptum ad flagitia*, eo tantum discrimine, ut *praeceps* maiorem vehementiam indicet. **facilis ad:**[2]) in H. I, 19, 8 *facili civitate ad accipienda credendaque omnia nova.* Notabilis hoc loco significatio adiectivi, quae sit: leicht dazu gebracht, quod bene Heraeus vertit, tamen ut sensus paulo mutetur: *leicht empfänglich.* Bötticherus s. v. p. 192 alia exempla contulit et bene interpretatur per *proclivis, pronus.* Prorsus eadem ratione intellego locum in A. XIV, 4, 5 *facili feminarum credulitate ad gaudia*, ubi minime coniungere licet: credulitas ad gaudia, quod Handius (I, p. 107) fecit, cum alienum locum ex H. II, 23 conferat: *humillimo cuique credulos;* sed, ut dici possit: credulitas ad aliquid, tamen si alios locos respicimus de hac interpretatione cogitari nequit. *Credulitas* eodem modo absolute usurpatur in A. XV, 11, 9 *facili credulitate eorum*

---

[1]) **praeceps in:** Ag. 42, 15 *iram;* H. I, 24, 3 *novas cupidines.* In Annalibus non reperitur.

[2]) **facilis in:** Ag. 21, 2 *bella,* ubi v. Kritzii adn.

qui eadem pavebant. **levis ad:** in A. XI, 33, 2 *ad honesta seu prava iuxta levi,* pro: prompto ad hon. s. pr. **lubricus ad:** in H. II, 101, 9 *lubrica ad mutandam fidem classe ob memoriam recentis pro Othone militiae,* h. e. lubrica erat ob mem. rec. pr. Oth. mil. eoque prona ad mutandam fidem. Heraeus vertit: *leicht zu verleiten.* **mobilis ad:** in A. I, 28, 9 *ut sunt mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes*, locus ei, de quo modo diximus, simillimus. —

4. Sed non solum si quis ipse ad rem inclinatus est, verum etiam si quis alium permovere studet vel denique re vera adduxit, praepositio «ad» usurpatur. Quo in usu decedendum nobis est a via, quam adhuc secuti sumus, ut distinguamus eos locos, ubi «ad» directionem, et quibus accessum ad finem significet, nam etiamsi nonnulla verba sint, quae huc pertineant, post quae praepositio aut directionem tantum, h. e. temptatum solum esse, ut quis ad rem adducatur, aut accessum usque ad finem, h. e. impetratum consilium exprimat, tamen alia sunt, post quae «ad» inserviat ad utrumque exprimendum. Cum igitur e. c. dicatur: commovit amicum ad pecuniam solvendam, sensus est: commotum amicum re vera pecuniam solvisse; si additur: amicum ad pecun. solv. commovere *conatus est*, intellegenda sunt verba: ad finem (solvendae pecuniae) perventum non esse. Itaque cum semper ex nexu sententiarum pendeat, qualem significationem post eadem verba diversis locis posita praepositio habeat simulque ne divellam, quae tam arte inter se conexa sint, in hoc ordine discrimen illud neglegendum esse arbitratus sum.

hortari ad: in H. III, 9, 25 *ad transitionem;* IV, 39, 14 *ad capessendam rem publicam;* A. II, 27, 10 *ad luxum et aes alienum;* III, 12, 15 † *ad eandem laborem, eandem constantiam;* XII, 46, 2 *ad sanciendum foedus.* — **adhortari ad:** in H. III, 61, 3 *nullo in bellum adhortante, multis ad transitionem,* ubi haud facile diversitatis praepositionum causa statui potest praeter variationis amorem. **cohortari ad:** in H. I, 83, 9 † *ad virtutem;* in H. l. IV, 45, 9 autem legimus: *senatus consultum quo Seniensium plebes modestiae admoneretur,* quam ex ipso senatus consulto desumptam esse dictionem crediderim, nam scripta publica antiqua diu retinuerunt et dativum cum verbis hortandi coniunctum antiquiorem dicendi usum esse vix dubitandum, si alia comparamus, de quibus v. inferius p. 44. **moveri ad:** in H. IV, 3, 13 *motis ad bellum*

Germaniis; 10, 9 *motis ad ultionem animis.* **commoveri ad** in A. XIV, 31, 11 *commotis ad rebellionem Trinobantibus.* **permoveri ad**[1]) in A. I, 61, 2 *ad miserationem.* **duci ad** in Ag. 1, 7 *ad prodendam virtutis memoriam.* **adducere ad**[2]) in Ag. 36, 5 *rem ad mucrones ac manus,* quae verba paene pro formula etiam ab antiquioribus scriptoribus usurpantur. **traduci ad** in H. I, 5, 2 *ad destituendum Neronem.* **agi ad:**[3]) in H. V, 26, 10 † *ad bellum;* A. I, 9, 11 *ad arma civilia;* VI, 16, 5 *ad mortem;* idem in l. XIII, 1, 16 et in c. 43, 8. — A. XII, 22, 15 *a quo ad mortem adigeretur.* — **impellere ad:**[4]) in D. 31, 15 *ad miserationem;* H. I, 83, 4 *ad civile bellum;* III, 36, 2 *ad bellum;* A. II, 27, 6 *ad Chaldaeorum promissa, magorum sacra, somniorum etiam interpretes impulit;* IV, 3, 12 *ad coniugii spem, consortium regni et necem mariti;* 41, 5 *ad vitam procul Roma*, i. e. ad vivendum. **compellere ad**[5]) in A. VI, 31, 7 *ad taedium vitae.* **perpellere ad:** in H. III, 48, 6 *ad societatem;* A. VI, 55, 4 *perpulisset iuvenem ad ea.* **propellere ad:** in A. VI, 9, 7 *ad corrumpendum militiae morem;* XI, 2, 11 *ad voluntariam mortem.* — **inlicere ad:**[6]) in A. II, 62, 3 *ad discordias;* III, 22, 11 *ad proferenda quae velut reicere voluerat;* XII, 44, 18 *ad res novas.* **pellicere ad** in A. XI, 19, 7 *ad deditionem.* **prolicere ad** in A. III, 73, 12 *ad spem.* **temptare ad** in H. IV, 49, 4 *temptaveritne Pisonem ad res novas,* breviter dictum pro: temptaveritne ut Pisonem ad res novas commoveret. **accendere ad:**[7]) in H. II, 68, 10 *ad certamen luctandi;* 77, 13 † *ad virtutem;* III, 54, 12 et IV, 26, 15 *ad virtutem*; A. XV, 66, 2 *ad prodendum Faenium Rufum;* XVI, 1, 13 *ad bellum.* — Pro passivo huius verbi intellegendum est, quod legimus in A. XII, 38, 8 *sive hostes miseratione tanti regis acrius ad ultionem* ***exarsere.***

---

[1]) **permoveri in:** H. I, 64, 2 *gaudium.*

[2]) **adduci in:** H. III, 45, 12 *extremum discrimen;* A. I, 57, 9 *spem clementiae;* XV, 50, 16 *metum;* cf. H. IV, 81, 13 *in spem induci.*

[3]) **agi in** v. p. 20 in adn. 3.

[4]) **impellere in:** H. I, 65, 8 *eversionem Viennensium;* III, 69, 9 *arma;* IV, 7, 16 *exitium.* In Annalibus non reperitur.

[5]) **compellere in:** H. II, 27, 1 *metum;* A. II, 52, 13 *eadem.* (XII, 45, 8 *castellum).*

[6]) Cf. H. IV, 56, 5 *adliciendos potius in societatem;* A. XV, 13, 4 *in proelium eliceret.*

[7]) H. I, 83, 8 † *in amorem mei accenderem;* IV, 36, 4 *in exitium ducum accendebatur.* Cf. H. I, 64, 11 *prope in proelium exarsere.*

stimulare ad[1]) in H. II, 44, 24 *ad iram saepius quam in formidinem stimulabantur,* ubi idem valet, quod ad H. III, 61, 3 (p. 40) adnotavimus. **exstimulare ad** in A. XV, 50, 24 *ibi ipsa frequentia tanti decoris testis pulcherrimum ad facinus animum exstimulaverant.* Verba *ad facinus* in codice desunt, sed recte ab Orellio addita esse videntur. Nam quod Urlichsius voluit, vocabulum *pulcherrimum* in *pulcherrima* mutandum esse, mihi non placet, quia dici non posse puto, populi multitudinem pulcherrimam testem esse, pro quo potius dicendum erat, esse testem gloriosissimam vel tale quid. Quae verba in codice exciderint, concludi potest ex H. I, 44, 10 *ut pulchrum et memorabile facinus iactabant,* cf. Sall Cat. 20, 3 *maxumum atque pulcerrumum facinus,* all. ll. Itaque Ritteri emendatio non magis probari potest, qui Urlichsii coniecturam secutus tamen lacunam post *animum* statuendam esse existimavit, quam per *eius* explevit. Multo simplicius atque rectius esse videtur, ut codicis lectionem, quae est *pulcherrimum* retineamus et Orellii sententiam sequamur. **firmare ad:** in A. XIII, 40, 18 *ad obsequium;* XIV, 10, 5 *ad spem.* **conciliare ad** in A. XVI, 23, 7 *ad spes novas.* — **imbuere ad** in A. XII, 32, 16 *imbuendis sociis ad officia legum,* propter quem loc. v. Handii Turs. I, p. 122. **extollere ad**[2]) in A XIII, 19, 16 *ad res novas extollere,* h. e. ita aliquem extollere, ut rerum novarum adpetens fiat. **excitare ad** in A. III, 69, 3 *ad meliora.* **trahere ad:**[3]) in H. III, 30, 9 *ad mutandam fidem;* 57, 3 et A. VI, 42, 9 et XII, 39, 13 *ad defectionem;* IV, 63, 3 *ad excidium civitatis traherentur,* ut nos similiter dicimus: ich fühle mich hingezogen; A. I, 36, 2 *ad causam eandem;* II, 58, 5 *ad discordias;* XII, 44, 13 *aliam ad spem.* — **cogere ad** in H. III, 6, 16 *ad mutandam fidem;* A. II, 21, 4 *stabile ad proelium;* VI, 33, 11 *ad preces;* 39, 3 *ad scelus;* 47, 9 *ad deditionem;* XIII, 39, 6 *ad sua defendenda.* **evinci ad** in A. XI, 37, 15 *ad miserationem evicta,* ubi propter significationem verbi fere dici potest, *ad mis.* pro sententia consecutiva positum esse, (de quo usu v. s. II, a, 1), ut

---

[1]) Cf. H. I. 33, 14 *stimulante Icelo — in publicum exitium.*

[2]) H. IV, 42, 4 *in summum odium extulerat,* cf. A. XI. 21, 7 *in spem sublatus.*

[3]) **trahere in:** H. III, 5, 8; A. I, 60, 2; IV, 40, 11 * et 60, 13 *partes;* H. IV, 56, 20 *arma;* id. 70, 31; A. I, 55, 12 *bellum;* id. II, 52, 8; 78, 2 *eandem sententiam.*

igitur sit, evicta est, ut miseratione adficeretur. Cf. Hand. Turs. I, p. 87 et alios locos, ubi prorsus eadem ratione praepositio «in» usurpata sit: in H. II, 64, 12 *in gaudium evicta;* A. I, 57, 15 *evicta in lacrimas.* — Similiter usus praepositionis in verbo **subigi ad** se habet: in H. III, 8, 15 *ad deditionem subigi,* h. e. subigi, ut deditio sequatur. **detrudere ad**[1]) in A. XIII, 43, 7 *ad necessitatem belli civilis detrusum.*

erigere ad: in H. V, 15, 11 *ad maturandum summae rei discrimen erexit;* A. II, 25, 1 *ut Germanos ad spem belli ita Caesarem ad coërcendum erexit.* Ita etiam participio utitur pro adiectivo in A. II, 71, 1 *Caesar paulisper ad spem erectus.* In A. III, 7, 2 codex exhibet: *erectis omnium animis petendae e Pisone ultionis et crebro questu, quod*...; ante vocabulum *petendae* aliquid excidisse ex sensu apparet, quamquam Nipperdeius dissimilibus exemplis adlatis id factum esse negat. (Cf. Halm. in comment. crit.) Cum autem vertat: *eriguntur animi petendae ultionis, die Gemüther aller richteten sich zur* ***Energie*** *auf, in der Absicht den Piso zur Strafe zu ziehen,* verbo erigendi significationem tribuit, cuius ego exempla desidero, in tribus enim, quae protulit, de erigendo *zu einem energischen Willen und Vorsatz* nihil reperire possum, quin in duobus eorum (H. V, 15, 11; A. II, 25, 1) praepositio «ad» accedit, in tertio (H. III, 59, 4) erectus respondet nostro *aufgeregt, in Aufregung,* in aliis etiam idem est quod *aufgerichtet* pro se dictum, h. e. adlevatus. Ipsa vero versione Nipperdeius prodidit, se ipsum aliquid expectasse, quod ad *erectis* pertineat. Negari quidem non potest saepius absolute participium a Tacito usurpatum esse, (exempla v. apud Bötticherum in Lex. Tac. p. 175), sed hoc loco si absolute diceretur, non esset, quomodo cum genitivo illo gerundivi finali sensu posito coniungeretur. — Freinshemius igitur emendabat: *erectis — animis spe petendae — ultionis.* Sed ad participium *erectus* saepius quidem accedit ablativus instrumenti, numquam autem in Annalibus, ita in Ag. 18, 6; H. II, 8, 16; III, 59, 4, in Annalibus autem non nisi cum praepositione «ad» coniungitur, ita ut fere aequo iure, quod ad sensum attinet, praepositio pro

---

[1]) Cf. H. V, 25, 13 † *in arma trusos.* Cf. A. I, 63, 7 *trudere in paludes;* IV, 54, 17 *trusere in summa castelli;* D. 32, 18 *in paucissimos sensus et angustas sententias detrudant;* A. XIV, 54, 9, † *nec me in paupertatem ipse detrudam.*

ablativo instrumenti ponatur.[1]) De aliis locis, ubi verba *erectis ad aliqd*, coniuncta sint, ita tamen ut praepositio alium sensum habeat v. inferius s. II, d. Itaque non dubito, quin scribendum sit: *erectis omnium animis ad spem petendae* . . ., praesertim cum ipsum *erectus ad* vel *in spem* quaedam formula Tacitea facta esse videatur. — Verba *crebro questu* pro ablativo absoluto accipienda sunt.

5. Denique locus commemorandus est, qui legitur in A. XVI, 23, 9 quem ut recte expediamus iterandum, quod iam in aliis locis tractandis saepius monui, nihil esse supplendum, sed energetica, quae dicitur, vi praepositionis fieri posse, ut ita verba usurpentur. Nam in eo vel potissimum admirabilis illa brevitas stili Tacitei sita est, quod liberiore praepositionum usu multa efferebat, quae ceteri scriptores ambagibus aut participiis aut totis sententiis adhibitis consequerentur. Cuius brevitatis aliud egregium specimen inferius s. II, a, 1 nobis occurret. Verba loci, de quo sermo est, haec sunt: *ut ad externa rumoribus intestinam scelus obscuraretur;* nos quidem, ut sensum loci comprehendamus, mente supplere: ad externa rumoribus **conversis** necesse est, sed Latinis, si notionem, quae vocabulo *rumor* inest, respicerent, ambiguitas nulla esse potuit. Ceterum de similibus vocibus saepius iam vidimus, (cf. p. 25, 36), hic autem locus insolentius nobis dictus esse videbatur. Non bene de eo Handius (I, p. 98) disputavit. —

6. Omnibus linguis id commune est, ut magis magisque declinationum casus particulis circumscribantur, postremo plane evanescant, ut e. c. in lingua Francogallica Anglicaque factum est, quae exigua tantum vestigia casuum, qui propriis formis expressi sint, exhibent. Praecipuum auxilium, quo casus substituantur praepositionum usus praebet.[2]) Si causa quaerenda, commodi-

---

[1]) **erectus in aliquid** in solis Historiis reperitur: in H. I, 4, 14 et II, 74, 11 *spem*; II. 11, 8 *Othonem*.

[2]) Cf. hos praeter alios locos, in quibus «in» pro casu positum esse videtur: in D. 7, 5; A. I, 10, 22; 55, 8; XI, 3, 7; XII, 25, 1; XV, 64, 8; A. II, 39, 10 *forma haud dissimili in dominum;* IV, 2, 4 *in ceteros metus oreretur*; similiter in l. XII, 35, 9; I, 62, 6 *gratissimo munere in defunctos,* similiter in l. VI, 7, 14; II, 48, 1; XVI, 11, 6; I, 78, 2; III, 52, 13; — VI, 11, 13 *in crimen duceretur,* pro «crimini»; 28, 6; IV, 9, 6 et VI, 51, 12; 30, 6; XI, 25, 10; XII, 8, 9; 14, 8; 32, 9 *in reliquos data venia;* deinde vocem illam in A. XI, 3, 7 *secuta sunt Claudii verba in eandem clementiam,* cui loco

tati cuidam, ne dicam inertiae cogitandi tribuenda videtur, qua interna ratio, quae inter notiones intercedat quaeque casibus exprimenda erat, non accuratius perspicitur, sed auxilio praepositionum, quae externam et, ut ita dicam, realem relationem indicant, logico connexu notionum relicto circumscriptio praefertur. Quare dubium non est, quin hic usus pro depravatione linguae habenda sit, quippe quo a profundiore cognitione rationis, quae inter notiones versatur, ad externam ac leviorem descendatur. Simul sequitur, quo longius lingua aetate processerit, plus momenti habere praepositiones. Multis iam locis, qui antecedunt, de hoc usu monere haud alienum fuisset, si omnino nostrum esset de origine talium locutionum disputare, nunc autem, cum de eo usu praepositionis «ad» dicturus sim, ubi **finalem vim**, h. e. ubi finem sive consilium aliquod peti, non effici atque impetrari, exprimat, si exempla consideramus, brevis illa observatio praemittenda erat.

a. Nam magnus locorum numerus invenitur apud Tacitum, qui ita comparati sunt, ut praepositio quidem finali vi posita sit, tamen ut pro simplici dativo scriptam eam esse intellegamus, simulque perspicuum sit, finalem illam significationem ex locali originem ducere. Nam primariam in his fuisse viam dicendi crediderim dativum, qui vocatur commodi. Tum autem, cum ante oculos esset, vulgâris ille usus, quo locali sensu praepositio ad verbum accedebat, haec ratio, quae obiter tantum internam notionum relationem tangit, valuit et praepositione circumscribebatur. Semper in locis ita comparatis simplex **substantivum** ad praepositionem refertur.

α. Post **verba** praepositio sequitur: quorum ea rursus primo loco ponimus, quibus movendi significatio inest: **festinare ad** in A. XI, 2, 10 *ipsa ad perniciem Poppaeae festinat.* **mittere ad:**[1]) in H. I, 10, 14 *Titum ad venerationem cultumque eius miserat;* A. I, 53, 17 et XVI, 9, 6 *ad caedem missi;* II, 6, 1 *ad census Galliarum;* III, 60, 3 *ad disquisitionem patrum;* XIV, 58, 7 *ad scelus.*[2]) **praemittere ad** in H. I, 46, 25 *ad caedem.*

---

simillimi ll. in l. VI, 55, 8: XV, 24, 2 et formula illa *in modum,* de qua v. inferius s. II, c. Cf. Greef., p. 32 et in hac dissert. s. II, d. aliisque locis.

[1]) Cf. p. 19. Hand. (I, p. 115) hunc usum praepositionis interpretatur: *für eine Sache bestimmt.*

[2]) **mittere in:** H. I, 67, 6 *stipendium castelli;* IV, 48, 7 *eam rem;* 50, 3 *necem Pisonis;* A. XII, 55, 6 *subsidium.*

Apertior iam est finalis significatio in A. XII, 38, 13 *missasque ad subsidium turmas,* (quam locutionem apud Livium pro «apud praesidium» intellegendam esse Hand. I, p. 115 docuit), quo cum loco comparari potest A. VI, 13, 19 *praevenire et reum destinare properat, pars ad subsidium sui.* In utroque autem loco praepositionem pro dativo esse patet. Similiter se habet locus in A. IV, 27, 7 *biremes adpulere ad usus commeantium illo mari.*[1]) —

Eademque ratione de omnibus iudicandum, quae sequuntur: **legere ad:**[2]) in G. 43, 20 *atras ad proelia noctes legunt;* H. II, 91, 20 *sed* (quod) *Thraseam ad exemplar verae gloriae legisset,* ad quae Heraeus non bene Horiatianum illud: (Epp. II, 1, 58) *Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,* conferre videtur, cum «ad» ibi potius sit pro «secundum», de quo v. s. II, c. **deligere ad:**[3]) in A. IV, 52, 13 *quod Agrippinam stulte prorsus ad cultum delegerit;* XV, 65, 5 *ad summum fastigium delecto.* **destinare ad:**[4]) in H. II, 56, 7 *ad excidium;* IV, 29, 5 *si quis — effulgens, ad ictum destinabant;* 46, 18 *ad caedem.* **vertere ad:** non nisi in Annalibus: in l. II, 84, 6 *nam cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat,* h. e. gloriae vertebat; III, 70, 4 *quod effigiem principis promiscum ad usum argenti vertisset;* VI, 51, 3 *ad gloriam;* idemque in l. XIII, 32, 13; 50, 13; XV, 20, 6 *ad bonum publicum;* 74, 16 *ad omendirum sui exitus.* **convertere ad** in H. IV, 81, 23 *conversa ad usum manus.* — **petere ad** in H. IV, 32, 12 † *ad supplicium.* **poscere ad:** in H. III, 10, 8 *ad exitium;* A. XIII, 44, 10 *ad solacium.* **deposcere ad:** in H. I, 84, 17 † *ad sanguinem et caedem depoposcerint ordinem;* III, 11, 7 *ad supplicium.* **ex-**

---

[1]) De loco in H. III, 50, 11 iam p. 30 *vidimus.*

[2]) Cf. H. IV, 46, 3 *lectus in eandem spem — miles.*

[3]) **deligere in:** H. IV, 50, 6 *eandem caedem;* A. I, 64, 19 *in laevum,* h. e. für den linken Flügel; VI, 17, 2 tempus, h. e. für eine gewisse Zeit, ubi notandum est, inprimis cum vocabulis, quae temporis notionem contineant, praepositionem «in» finali vi a Tacito usurpari; A. XV, 5, 6 *in eam legationem delectus.*

[4]) **destinare in:** H. I, 12, 12 *hunc vel illum — destinabant, etiam in Titi Vini odium;* Wölfflinus in Phil. XXVII, p. 128 de sua interpretatione loci mihi non persuasit, sed auctoritatem de Leutschii, viri doctissimi, secutus praepositionem finali sensu positam esse censeo: ut in Vinium odium **fieret;** II, 56, 6 *dites dominos in praedam aut — ad excidium destinabant;* III, 55, 8 *consules in multos annos destinabat;* IV, 58, 21 *aurove in aliud destinato.* Cf. A. I, 36, 5 *candidatos in singulos annos nominaret.*

poscere ad in H. I, 58, 4 *ad poenam.* **postulare ad** in H. I, 82, 20 et II, 94, 9 *ad supplicium.* **expostulare ad** in H. I, 73, 1 *ad supplicium.* — Quare dubium esse non potest, quin in H. I, 45, 8 ubi codicis scriptura est: *Marium Celsum — usque in extremas res amicum fidumque supplicium expostulabant,* et in H. II, 36, 2 *Macer exitium poscebatur*, praepositio «ad» ante vocabula *supplicium* et *exitium* restituenda sit. **flagitare ad** in H. I, 72, 1 *ad poenam.* **monstrare ad** in H IV, 41, 15 *ad exitium.*

Verbo dignum videtur, quod uno loco excepto, qui est in A. l. XIII, 44, 10, omnia haec poscendi verba in solis Historiis inveniuntur. Annalium vero liber XIII complures in usu dicendi habet proprietates, de qua re alio loco fortasse accuratius disseram. —

offerre ad[1]) in A. I, 42, 4 † *quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem.* **dare ad**[2]) in Ag. 38, 15 *datae ad id vires.* **dedere ad** in H. II, 10, 12 et A. I, 32, 9 *ad exitium.* **tradere ad** in A. XI, 35, 16 *ad supplicium.* **relinquere ad**: in A. I, 56, 6 *ad munitionem viarum et fluminum;* XV, 63, 8 * *ne sibi unice dilectam ad iniurias relinqueret.* **retinere ad**: in Ag. 37, 4 *equitum alas ad subita belli retentas;* H. V, 16, 3 *ad improvisa;* A. XVI, 11, 8 *ad suprema.* **manere ad** in H. V, 10, 11 *manere — Titum ad omnes principatus novi eventus casusve utile videbatur.* **armari ad** in H. I. 80, 10 *ad perniciem Othonis;* cf. A. IV, 48, 16 *ferre arma ad suum patriaeque servitium;* H. I, 63, 4 *raptis derepente armis ad caedem innoxiae civitatis.* **expedire ad** in H. II, 99, 2 *expedire ad bellum iubet;* cf. H. V, 12, 9 *struxere muros tamquam ad bellum.* **accingere ad:**[3]) in H. IV, 79, 6 *antequam — ad spem vel ad ultionem accingerentur;* A. IV, 66, 7 *plura ad flagitia;* VI, 38, 2 *ornat Phraaten accingitque paternum ad fastigium;* XII, 31, 16 *turmas quoque peditum ad munia accingit.* **sumere ad**[4]) in A. I, 71, 8 *equis ad bellum sumptis.* **parare ad:**[5]) in A. II, 33,

---

[1]) Cf. A. IV, 71, 6 *oblatis in eandem operam recentibus.*

[2]) **dare in:** H. III, 57, 12 *auxilium;* IV, 35, 6 *praesidium;* id. in A. XV, 10, 16; 48, 2 *coniuratione, in quam certatim nomina dederant senatores;* 58, 2 *custodiam.*

[3]) **accingere in:** D. 16, 12 *contrarium;* H. III, 21, 6 *proelium;* 35, 10 *auxilium;* 66, 20 *audaciam;* IV, 62, 9 *aciem.*

[4]) Cf. A. IV, 3, 16 *sumitur in conscientiam.*

[5]) **parare in:** D. 31, 27 *in omnem disputationem paratos;* 41, 13 *in*

13 * *quaeque ad usum parentur;* 33, 16 * *quae ad requiem parentur,* cf. s. 6, a, *β.* **properare ad** in A. II, 80, 16 *ne tela quidem nisi agrestia aut ad subitum usum properata.* Sic enim ex coniectura Weissenbornii scribendum esse puto secundum locos, quos sub verbo *parare ad* modo protuli, pro: *aut subitum usum properata*, quod in Mediceo est. — **sufficere ad** in H. IV, 68, 13 *ad utraque munia;* XIII, 30, 9 *haud creditus sufficere ad constantiam sumendae mortis.* **satis esse ad:** in A. III; 47, 7 *id satis ad victoriam;* XV, 6, 18 *cui satis ad gloriam erat.* **super esse ad:** in H. I, 51, 9 *viri arma equi ad usum et ad decus supererant.* **abesse ad** in A. III, 58, 12 * *quanto facilius afuturum* (h. e. ab urbe) *ad unius anni proconsulare imperium?* **congruere ad** in G. 6, 14 *apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum.* **uti ad:**[1]) in G. 16, 7 *materia ad omnia utuntur informi;* A. XII, 8, 11 *consiliis — ad spem dominationis uteruntur;* XVI, 7, 13 *ad discordias.* **abuti ad** in A. XV, 73, 13 *ad occasionem proprii odii.* **quaerere ad**[2]) in G. 18, 2 *munera non ad delicias muliebres quaesita.* **afferre ad** in H. III, 9, 14 *qui solus ad id bellum artes bonas attulisset.* **conferre ad** in A. III, 72, 5 *opes ornatum ad urbis et in posterum gloriam conferre*, sic enim locus sanandus mihi videtur pro: *et posterûm gloriam*, cuius emendationis causas hic exponere non possum. **congregare ad** in A. II, 52, 4 *ad praedam et raptus.* **referre ad**[3]) in A. III, 37, 10 † *nec ad invidiam ista sed conciliandae misericordiae refero;* aliter in H. IV, 49, 28 *manus ad caedem proconsulis retulisset.* **praeferri ad** in H. I, 48, 4 *ad hoc tantum maiori fratri praelatus est, ut prior occideretur* (cf. Hand. Turs. I, p. 126). **praescribere ad:** in A. III, 57, 6 *ad memoriam temporum — nomina praescriberentur;* VI, 23, 3 *ad hoc senatus praescripserat.* (Nipperdeius: *hierfür.*) **patere ad**

---

obsequium regentis paratos; H. IV, 32, 9 *paratumque in res novas;* A. XV, 55, 6 *telum — in necem eius paratum;* G. 24, 4 *ars decorem* (paravit), *non in quaestum tamen aut mercedem;* A. I, 55, 2 *bellum — in aestatem;* III, 27, 13 *in longum.*

[1]) Cf. Ag. 18, 29 *prosperitate rerum in vanitatem usus.*

[2]) Cf. A. IV, 62, 7 *in sordidam mercedem id negotium quaesivisset.*

[3]) Cf. Ag. 10, 2 *non in comparationem curae ingeniive referam.* Quod hoc loco praepositione **in** usus est, cum plane idem valeat quod in exemplo ex Annalibus desumpto in sola diversitate temporum causam habet, quibus utrumque opus composuit.

in H. III, 8, 2 *patentibus circum campis ad pugnam equestrem;* G. 22, 10 *aut ad simplices cogitationes pateat animus aut ad magnas incalescat.* **patescere ad** in H. V, 11, 15 *ut latera obpugnantium ad ictus patescerent.* In A. XVI, 11, 10 *singulis vestibus* ***ad verecundiam velati;*** I, 41, 5 * *non centurionem* ***ad tutelam,*** *non militem, nihil imperatoriae uxoris aut comitatus soliti* (sc. adesse). — A. I, 21, 3 ***ad terrorem ceterorum*** *adfici verberibus.* — A. XV, 53, 18 ***inanem ad spem*** *Antoniam nomen et periculum commodavisse.* — In A. XV, 52, 15 ***ne ad libertatem oreretur,*** h. e. ne pro libertate surgeret, aus Furcht, er möge sich zu Gunsten der Freiheit erheben; (cf. Nipperdeii versionem). Locum in A. XI, 23, 9 *adhuc memorari exempla, quae priscis moribus* ***ad virtutem et gloriam*** *Romana indoles prodiderit,* ita intellego: quae exempla Rom. indoles, cum prisci mores essent, virtuti et gloriae suae prodiderit, exsecuta sit. Nipperdeii interpretatio obscurior esse videtur.

In A. XIV, 52, 11 * ***quem ad finem*** *nihil in re publica clarum fore quod non ab illo reperiri credatur;* in c. 64 narratio caedis Octaviae his verbis ad finem perducitur: *dona ob haec templis decreta quem ad finem memorabimus? Qui cumque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent, praesumptum habeant, quotiens fugas et caedes iussit princeps totiens grates deis actas, quaeque rerum secundarum olim tum publicae cladis insignia fuisse.* — Verba magna cum acerbitate dicta, quae graviter legentis animum commoveant, quod vel potissimum illa interrogatione efficitur, quae est: *dona templis decreta quem ad finem memorabimus?* — Wölfflinus autem in Phil. XXV, p. 98 primum futurum tempus in verbo ex sermone Taciteo non esse contendit, cum semper si futuro huius verbi tempore utatur, ipsa commemoratio statim aut postea sequatur. Mihi quidem hoc argumentum non prorsus perspicuum est. Nam hanc regulam Tacitum observasse ex ipsis locis, ubi *memorabo* aut *memorabimus* in narratione scriptum sit, per se patet; cum enim dicat: hoc vel illud suo loco commemorabo, necesse est de illa re postea dici. Sin autem dicit in excursione, in qua causam aliquam, quae ad rationem scribendi valeat, explicet *cur hoc memorabo,* pro: «hoc memorare nolo», ita ut in tota reliqua parte operis de hac re sermo non amplius sit, non video, cur id ei non liceat. Quod non saepius ita futuro huius verbi usurpavit, inde tantum factum est, quod omnino similis occasio in ceteris

libris non esset. Futurum enim tempus hanc sententiam exprimit: «(**wenn** wir sie erwähnen), zu welchem Zweck werden wir sie dann erwähnen,» quae proxime accedit ad vim coniunctivi. Nos eundem usum in exclamationibus habemus, quales sunt: «ich werde so thöricht sein, das zu thun!» in quibus etiam nos non de futuro tempore sed de praesenti cogitamus, h. e. ich bin nicht so thöricht. — Quod ad alterum argumentum Wölfflini attinet, quod in Annalibus Tacitus semper dicat: memor**abo** et memor**avi**, numquam plurali numero utatur, hoc concedi potest, si exceptionem in loco, de quo agimus, ut in digressione statuimus. Praeterea eius modi observationes utilissimae quidem sunt, sed numquam, nisi si alia causa accedit, tantum iis tribuendum, ut scripturam codicis mutemus. (Nam quod hoc loco codex *memorabim* exhibet, vix varia lectio nominari potest.) Ipse autem vir doctissimus locum ex A. V, 10, 20 desumptum protulit, ubi verba sint: *nos* — *comperimus* Cur non eodem iure ibi dicere potuit: ego — comperi? similiterque in A. II, 46, 33 *ut rettulimus*, verba sunt. Ita etiam in loco, de quo sermo est, pergit per: *nobis*, et in v. 16 *neque tamen sile***bimus**. — Nunc autem videamus, quam Wölfflinus proponat lectionem. Scribebat enim: *dona ob haec templis decreta. Quae eum ad finem memoravi, ut quicumque et* quae seq., addiditque: *mit ächt Taciteischer Einschiebung der praeposition zwischen pronomen (adiectiv) und substantiv, analog 14, 52 quem ad finem.* Sed pronomen «is» numquam locum habet ante praepositionem apud aureae aetatis scriptores, Tacitus non nisi in quibusdam formulis, quae per alias praepositiones componuntur,[1]) ita collocavit, numquam autem posuit pronomen ante praepositionem «ad» (de quo cf. p. 71), quin

[1]) In A. VI, 18, 3 *ea de re senatus consultum postulaverat*; H. IV, 48, 2 *ea de caede — expediam*, quae sunt sola exempla ubi «de» pronomini «is» postponitur; in secundo scriptori formula illa: *ea de re* in animo erat, cuius ex analogia vocabulum *caede* pro *re* substituit; cf. etiam A. I, 6, 3 *nihil de ea re*. Similiter *ea super re* in A. XI, 23, 4, cum *super ea re* legatur in A. VI, 1, 1; 21, 9; (quibuscum conferenda sunt: A. II, 35, 2 *super eo negotio*; VI, 34, 4 *super eo miraculo;* XV, 36, 5 *super ea profectione*). Nullum praeterea exemplum Taciteum compertum habeo, sed satis magnum numerum, in quibus pronomen praepositionem **sequitur**: H. IV, 48, 7 *misso in eam rem legato;* 50, 6 *in eam caedem delegerat;* A. XV, 5, 6 *in eam legationem delectus;* G. 29, 3; A. XIII, 51, 6; 36, 13; XV, 5, 6; 45, 7; XVI, 35, 8 † *in ea tempora natus es.* Exempla ex aliarum praepositionum usu augeri possunt, sed haec iam sufficiant.

in A. XIII, 34, 17 dixit: ***illud** magis ad servitium*, ubi «id» potius dicendum erat. Accedit denique, quod, si Wölfflini scripturam comprobamus, sententia multo languidius atque frigidius exprimitur, minimeque convenit fervori vehementiaeque doloris, quam in similibus dictis Tacitus prodere solet. —

β. Eandem significationem praepositio habet, si ex **adiectivis participiisque** pendet: **natus ad:**[1]) in D. 5, 13 *natus ad eloquentiam virilem et oratoriam*; 6, 4 *ad voluptates honestas*; 10, 24 *ad pugnam*; H. IV, 64, 9 *ad arma*. **genitus ad** in A. XIII, 17, 18 *familia summum ad fastigium genita*. — **idoneus ad** in A. XII, 55, 8 *ad pugnam*. **oportunus ad:**[2]) in A. II, 5, 11 *ad insidias*; IV, 51, 11 *nox — aliis ad formidinem oportuna*. — **instabilis ad** in A. I, 64, 4 *locus uligine profunda, idem ad gradum instabilis*. **paratus ad:**[3]) in A. III, 65, 11 † *homines ad servitium paratos*; V, 5, 6 *ad ultionem*. **exercitus ad** in A. XIV, 2, 17 *exercita ad omne flagitium patrui nuptiis*; nam *«exercitus» est is, qui longo usu alicuius rei facultatem ac peritiam nactus est*, ut recte interpretatur Bötticherus in L. T. p. 183, ubi v. exempla. **habilis ad** in G. 6, 4 *ferro — ad usum habili*. **acer ad** in H. III, 59, 5 *ad cuncta belli munia acres erant*; contra in H. IV, 1, 16 legitur: *accendendo civili bello acres*. **bonus ad** in A. II, 14, 6 *campos — ad proelium bonos*. — In D. 5, 16 *vel ad utilitatem **fructuosius** vel ad urbis famam **pulchrius** vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam **inlustrius** excogitari potest*, ubi semper praepositione dativi locus expletur. **meditatus ad** in A. III, 5, 14 *ad memoriam virtutis*. **dispositus ad** in H. II, 22, 9 *dispositos ad id ipsum molares — provolvunt*. **repositus ad** in D. 31, 21 *ad omnem usum*. —

γ. Praepositio pendet ex **substantivis: locus ad** in A. XII, 33, 6 *ad proelium*. **spatium ad** in A. XII, 56, 8 *spatium amplexus ad vim remigii, gubernantium artes et proelio solita*. **tempus ad:** in A. IV, 40, 2 *ad integram consultationem*; A. XIII, 17, 10 *ad complexum sororum*. **dies ad** in H. III, 60, 1 *ad requiem*. **pontes ad** in A. XII, 57, 4 *pedestrem ad pugnam*. **cura ad** in A. I, 81, 7 *suam ad id curam pollicitus est*. — **subsidium ad** in

---

[1]) Cf. A. XVI, 35, 8 † *in ea tempora natus*.
[2]) Cf. A. IV, 51, 10 *nox aliis in audaciam — oportuna*.
[3]) Cf. de **paratus in** p. 47 in adn. 5.

A. III, 36, 9 *ad flagitia.* **suffragium ad** in A. III, 19, 3 *suffragium ad honores pollicitus.* — **animus ad** in H. III, 18, 12 *quanto plus spei ad effugium, minorem ad resistendum animum dabant.* **constantia ad** in H. II, 35, 4 *neque ea constantia gladiatoribus ad proelia, quae militibus,* ubi non cogitandum de usu illo praepositionis, quo sit pro: in Bezug auf, quod ex ceteris exemplis elucet. —

b. Deinde eos locos conferam, in quibus vis praepositionis nullo quidem modo diversa sit a vi, quam in locis sub lit. a collectis habet, ubi tamen non substantivum sed **gerundium verbi** ad eam referatur. Numquam autem praepositio «in» apud Tacitum cum gerundio construitur.

α. Post **verba** sequitur praepositio, ad quam gerundium verbi pertinet: **mittere ad** in A. IV, 26, 7 *ad satisfaciendum populo Romano,* quo in loco gerundium scribere debebat, quod dativus ex verbo satisfaciendi pendet; cf. A. XV, 16, 6 *quos testificando rex misisset,* ad quem locum v. Wölfflin. in Phil. XXV, p. 115. **venire ad:** in A. II, 42, 12 *ad precandum;* XIV, 8, 18 *ad visendum.* **convenire ad** in H. II, 68, 11 *ad spectandum.* — **deligere ad** in A. III, 67, 6 *ad accusandum.* — **dare ad:** in H. II, 9, 3 *triremes ad prosequendum;* A. II, 85, 9 *sexaginta dies ad consultandum.* **quaerere ad** in A. IV, 54, 12 *secretum ad perpetrandum.* — **satis esse ad** in H. IV, 15, 15 *satis virium ad arcendum erat.* **deesse ad**[1]) in A. XII, 20, 11 * *vim ad exsequendum.* — **retinere ad:** in H. III, 15, 11 *legionibus ad muniendum retentis;* H. I, 87, 13[2]) *curam navium Moschus libertus retinebat ad observandam honestiorum fidem.* In codicibus autem post vocabulum *fidem* legitur aut *īmutatus* aut *immutatus* aut *imitatus.* Caput enim, in quo haec verba extant, pertinet ad ea, quae ex interpolatis codicibus recentioris aetatis supplenda sunt, cum Medicei folium, quo capita H. I, 86 inde a verbis *inopia quaestus* usque ad II, 2 *Cyprum* continebantur perierit. Varie homines docti locum sanare studuerunt, cum alii *immutatus* defenderent, alii *invitatus* mallent, alia alia, quae v. apud Halmium in comm. crit. Quorum de sententiis hoc loco disputare non possum, verbum tantum de lectione *im-*

---

[1]) Cf. A. XIII, 56, 7 † *deesse nobis terra in vitam — potest.*

[2]) Hoc exemplum, quod proprie p. 56 commemorandum erat, causis, quae facile intelleguntur, hoc loco recepi.

mutatus addam, quae et plurimum auctoritatis habere et non male ad sensum quadrare videatur et a Halmio et a Jacobio defendatur. Si Tacitus — ut de insolenti constructione verborum sileam — dixisset, Moschum fuisse inmutatum ad observandam honestiorum fidem, certe aliquid de Moscho antea commemoratum aut explicationis causa additum esse exspectaremus, quorum neutrum factum est. Sin autem et malam codicum fidem, et locos, quos supra p. 47 et quem modo protuli, consideramus, acquiescendum esse crediderim in emendatione Mureti, quam etiam Ritterus probavit, ut uncis includatur vocabulum *immutatus*. Qua ratione corruptela exorta sit, nostrum non est, ut quaeramus. —

β. Praepositio sequitur post **adiectiva** et **participia: aptus ad:** in D. 30, 29 *ad persuadendum apte dicere;* H. III, 41, 2 *neque ad fallendum aptus numerus neque ad penetrandum.* **accomodatus ad** in A. II, 66, 9 *ad fallendum.* — **inhabilis ad:** in H. I, 79, 17 *ad resurgendum;* II, 87, 7 *ad parendum.* — **potens ad** in Ag. 7, 15 *ad cohibendum.* —

γ. Praepositio sequitur post **substantiva: spatium ad** in A. V, 1, 8 *ad enitendum.* — **materia, materies ad:**[1]) in D. 37, 30 *ad dicendum;* H. I, 51, 27 *ad fingendum credendumque.* **vires ad** in H. IV, 56, 10 *ad coërcendum.* **nisus ad** in A. III, 46, 16 *ad resurgendum.* **fides ad** in H. II, 8, 6 *ad fallendum.* **silentium ad** in H. V, 22, 8 *utque ad fallendum silentio, ita coepta caede — cuncta clamoribus miscent,* ubi *ad fallendum silentio* quasi unam notionem efficiat: doloso silentio, et verbum: primo agunt, vel simile quid supplendum sit. — **libertas ad** in A. III, 51, 1 *libertas ad paenitendum erat.* (cf. Handii exempla in Turs. I, p. 116.) —

c. Denique autem «ad» coniungitur cum **gerundivo verborum,** ad quae obiectum accedit; etiam hunc usum ex locali significatione praepositionis exortum esse exempla, in quibus praepositio ex verbis movendi pendet, demonstrant, ita tamen, ut de prima hac significatione non iam cogitetur. In ceteris quoque exemplis finalis illa vis praepositionis ex locali originem trahit et in omnibus praepositione, quae ita usurpatur, dativus commodi circumscribitur. Qua de causa exempla illa, ubi re vera dativus gerundivae formae

---

[1]) de scriptura vocabuli v. Wölffl. in Phil. XXV. p. 101.

legitur eodem sensu, atque in aliis praepositio «ad» cum accusativo gerundivi posita est, propriam primariamque dicendi rationem produnt, (cf. antiquissimam illam formulam: triumviri agris dividundis, sim.), pro qua praepositio **substituitur.**

α. Praepositio pendet ex **verbis:**

1. **eundi: ire ad:**[1]) in H. IV, 28, 15 *ad scindendum vallum.* **introire ad** in A. XV, 58, 7 *dicendam ad causam.* — **intrare ad** in A. XIII, 8, 16 *ad accipiendas copias Suriam.* — **proficisci ad** in H. V, 22, 1 *ad visenda castra.* — **digredi ad** in Ag. 6, 1 *ad capessendos magistratus in urbem*, (cf. Wölffl. in Phil. XXV, p. 114); A. IV, 73, 5 *ad sua tutanda.* **egredi ad** in A. VI, 56, 18 *ad capienda imperii primordia.* **transgredi ad** in H. I, 73, 4 *ad instigandum in arma Clodium Macrum.* — **vehi ad** in A. I, 5, 4 *Planasiam — ad visendum Agrippam.* — **concurrere ad** in A. XVI, 22, 7 *ad coërcendos Silanum et Veterem.* — **venire ad:**[2]) in H. I, 85, 9 *in urbem ad studia partium noscenda*; A. II, 79, 5 *Romam ad dicendam causam;* XIV, 51, 7 *ad visendum eum.* — **effundi ad:** in A. I, 23, 6 *ad quaerendum corpus;* XVI, 24, 1 *ad excipiendum principem.* — **prorumpere ad** in H. III, 80, 4 *ad tuendam urbem.*

2. Ex verbis **mittendi, ducendi, ferendi** praepositio pendet: **mittere ad:** in Ag. 7, 10 *ad dilectus agendos;* H. I, 81, 8 *ad mitigandas militum iras*; II, 85, 12 *ad interficiendum Tettium Julianum*; III, 5, 13 *ad occupandam ripam Aeni fluminis;* 54, 13 *ad vires hostium spectandas;* IV, 3, 1 *ad componendam Campaniam;* A. XII, 10, 1 *ad expetendum — Meherdaten;* XIV, 39, 1 *ad spectandum Britanniae statum;* (cf. Wölfflin. in Phil. XXV, p. 114 et quod ad v. *deligere ad* adnotavimus p. 55). **praemittere ad:** in H. II, 11, 15 *ad occupandas Padi ripas;* 100, 2 *ad occupandam Cremonam;* III, 14, 9 *ad obtinendam Cremonam;* A. I, 71, 1 *ad accipiendum in deditionem Segimerum.* — **ducere ad:**[3]) in H. IV, 37, 11 *ad liberandum Mogontiaci obsidium;* A. III, 39, 4 *ad exsolvendum obsidium.* **induci ad** in A. I, 7, 25 *ad introspiciendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem.* — **in-**

---

[1]) Cf. H. II, 28, 5 *ire in subsidium iubet.*

[2]) Cf. A. XIV, 32, 19 *in subsidium adventanti.*

[3]) Cf. H. II, 23, 3 *in auxilium Placentiae ducebat.*

ferre ad in A. XIII, 31, 9 *aerario inlatum est ad retinendam populo fidem.*

3. Ex verbis **eligendi** et **deligendi,** (de scriptura v. Wölfflin, in Phil. XXV, p. 108): **eligere ad:** in Ag. 6. 18 *ad dona templorum recognoscenda;* H. I, 50, 6 *ad perdendum imperium.* **deligere ad** in A. I, 64, 20 *ducendum ad agmen;* II, 43, 19 *ad spes Germanici coërcendas;* IV, 48, 12 *augendam ad formidinem;* VI, 54, 13 *ad opprimendum Seianum;* XII, 8, 2 *augendam ad invidiam;* XIV, 26, 7 *ad capessendum imperium.* Wölfflinus in Phil. XXV, p. 114 nonnullis exemplis adhibitis, quae sunt: «deligere ad, mittere ad, digredi ad, ducere ad» c. gerundiv. constr., demonstrare volebat, dativum illum finalem rarissime in prioribus scriptis locum habere, cum in Annalibus ex regula positus et praepositio non nisi certis causis admissa sit. Hoc quidem concedi potest, in Annalibus saepius Tacitum antiquiorem dicendi usum sibi vindicasse, quam usum praepositionis, ut etiam in aliis antiquiora in Annalibus praetulit, sed causas, quas Wölfflinus invenisse sibi videtur, captiosas esse iam inde apparet, quod novem tantum in Annalibus extant exempla, in quibus *deligere* cum dativo, sex autem — nam A. VI, 54, 13 Wölfflinus omisit — in quibus cum praepositione coniunctum sit. Deinde accedit, **quod neque in Historiis neque in scriptis minoribus umquam sit *deligere ad* cum gerundivo coniunctum.** Quam ob causam quomodo dici possit, dativum gerundivi non usurpari ante locum in H. 3, 7, in Annalibus autem semper dativum poni, cum praepositio pro eo certis tantum de causis substituta sit — unde iis qui legunt, hoc verbum in Historiis plerumque in scriptis minoribus semper cum praepositione construi concludendum est — hoc non video. Similiter causae et numeri locorum in reliquis exemplis comparati sunt, nam *mittere* cum dativo gerundivi quinquies in Annalibus, cum praepositione quater reperitur — omisit enim Wölfflinus ll. A. XII, 10, 1 et XIV, 39, 1 —; *digressus ad* et *egredi ad* in Annalibus bis inveniuntur in l. IV, 73, 5, quem locum Wölfflinus non vidit, et in l. VI, 56, 19, neque saepius cum dativo, nam locum in A. IV, 19 reperire non possum. Quod ad verbum *ducere ad,* pro praepositionis usu unum, pro dativi tres locos contulit.

Itaque hanc quam voluit regulam constituere non possumus, sed dicendum potius est, utrumque usum in Annalibus promiscue inveniri, tamen ut magis inclinet scriptor ad antiquiorem usum,

qui sit dativi, in Historiis autem dativum raro praepositionis locum explere, in scriptis minoribus numquam; cf. Draeger, Ueber Syntax und Stil des Tacitus p. 68 et 69 et exempla quae Bötticherus p. 142 et 143 contulit.

4. Praepositio sequitur post verba **dandi**: **dare ad**: in H. I, 25, 5 *data pecunia ad pertemptandos plurium animos;* III, 55, 6 *ad tuendam urbem.* **tradere ad** in H. IV, 51, 11 *ad reliqua — belli perpetranda.* **praebere ad** in A. XIV, 5, 2 *noctem — quietam quasi convincendum ad selus dii praebuere.* **emere, emercari ad**: in A. XIII, 5, 2 *ad causam orandam mercede emeretur;* XVI, 32, 9 *emptus ad opprimendum amicum;* XII, 14, 4 *exuendam ad fidem hostes emercari.* His exemplis perspicuum est, quam arte cohaereat significatio praepositionis, quae est «zu etw. gebracht», cum finali eius vi.

5. Post nonnulla alia verba, quae significatione diversa sunt: **vocare ad** in A. III, 56, 15 *ad capessendum hoc munus.* — **relinquere ad** in H. III, 32, 8 *ad exstruendum amphitheatrum.* — **obstinare ad** in H. II, 84, 8 *ad optinendas iniquitates.* **uti ad**: in D. 40, 4 *ad incessendos principes viros — plausibus;* XIV, 23, 2 *terrore ad — occupanda Tigranocerta.* — **usui esse** in A. XVI, 19, 15 *ad facienda pericula.* **superesse ad** in H. II, 4, 14 *ad tolerandas necessitates.* **opus esse** in D. 31, 1 *ad hoc efficiendum;* H. I, 77, 2 *ad capessendam principatus fortunam.* **indigere ad** in A. VI, 52, 21 *ad internoscenda — utilia.* **mutuari ad** in D. 31, 26 *ad hos permovendos mutuabimur — locos.* — **figere ad** in A. III, 63, 15 *figere aera sacrandam ad memoriam.* — **rapere ad** in H. III, 6, 1 *partem equitum ad invadendam Italiam.* **se expedire ad** in A. XIV, 36, 12 *ita se ad intorquenda pila expedierat.* — **coniti ad** in A. XV, 66, 8 *ad convincendum eum.* — **certare ad**[1]) in A. I, 71, 5 *ad supplenda exercitus damna*, (cf. de hoc loco Hand. Turs. I, p. 119 et inferius p. 64). — **conquirere ad** in A. XV, 56, 8 *omnes ad eum opprimendum artes.* — **volgare ad** in H. I, 34, 9 *ad evocandum Galbam laeta.* — **comitari ad** in A. XV, 53, 15 *comitante Antonia — ad eliciendum volgi favorem.* — A. XIV, 38, 2 *sub pellibus habitus est* ***ad reliqua belli perpetranda.*** A. XIII, 38, 15 *in planitiem porrigebatur* ***ad explicandas equitum turmas.*** A. I, 41, 11 ***ad concilianda***

---

[1]) Cf. H. II, 42, 15 *in eventum totius belli certabant.*

volgi studia *eo tegmine pedum induebatur.* A. I, 76, 14 *non crediderim* ***ad ostentandam saevitiam movendasque populi offensiones*** *concessam filio materiem.* —

β. Praepositio, quam gerundivum verbi sequitur, ex **participiis adiectivisque** pendet: **oportunus ad** in A. II, 6, 12 *transmittendum ad bellum.* **inlustris ad** in D. 8, 14 *eo clariora et ad demonstrandam oratoriae eloquentiae utilitatem inlustriora exempla sunt.* **insignis ad** in H. I, 35, 12 *insigni animo ad coërcendam militarem licentiam.* **ingens ad** in A. I, 64, 7 *hastae ingentes ad vulnera facienda;* hoc enim loco adiectivum *ingentes* magna cum brevitate dicitur, cum et longas gravesque fuisse hastas indicet et eodem vocabulo aptas fuisse propter ipsam gravitatem ad vulnera facienda contineatur. Similiter Tacitus in A. XVI, 14, 10 scripsit: *opesque eius* ***praecipuas*** *ad eliciendam cupidinem — esse* h. e. opes eius abundantes ideoque aptas ad elic. cup. — Sic etiam intellego locum in H. II, 99, 8 *quantumque* ***hebes*** *ad sustinendum laborem,* ita ut adiectivum breviter positum sit pro: hebes et propter hanc causam inutilis ad sust. laborem, nam Tacitum saepius vocabulis plus tribuisse constat, quam proprie insit. **exercitus ad** in A. XVI, 32, 10 *ad exprimendam imaginem honesti* (cf. p. 51). — H. I, 9, 13 ***saluberrimum*** *est ad continendam militarem fidem.* Ag. 28, 3 *qui* (sc. milites) *ad tradendam disciplinam* ***inmixti*** *manipulis exemplum et rectores habebantur.* H. I, 90, 13 *erant qui genus ipsum orandi noscerent, crebro fori usu celebre et ad implendas populi aures* ***latum*** *et* ***sonans,*** ubi v. Heraei interpretationem. —

γ. Praepositio pendet ex **substantivis: aditus ad** in A. III, 30, 8 *quamquam prompto ad capessendos honores aditu.* **conventus ad** in Ag. 12, 6 *rarus — ad propulsandum commune periculum conventus.* **tempus ad:** in H. IV, 34, 19 *ad ordinandam aciem;* V, 21, 12 *ad exsequenda imperia.* — **audacia ad** in A. XV, 4, 10 *ad exsequendas obsidiones.* **auctoritas ad** in H. I, 45, 11 *ad prohibendum scelus.* **vis ad** in A. XI, 9, 3 *vi militis Romani ad excindenda castellorum ardua, simul Hibero exercitu campos persultante.* Hunc locum non bene illustrasse mihi videtur Orellius, qui Döderleinii auctoritatem secutus adnotavit: «*ad excindenda*» *pendent ex omisso* «*militis Romani*» *epitheto* «*idonei,*» nam non minus ibi praepositionem loco dativi commodi esse crediderim, quam in exemplo ex Hist. I, 85, 1 a Döderleinio adscripto: *oratio ad per-*

stringendos mulcendosque milites. Neque nos si dicimus: «eine Rede zur Beschwichtigung der Soldaten» cogitatione addimus: «berechnet, geeignet» vel tale quid. **ius ad** in A. I, 2, 4 *ad tuendam plebem tribunicio iure contentum.* — H. III, 70, 4 * *simulationem prorsus et imaginem deponendi imperii fuisse ad decipiendos tot inlustres viros.* —

II. Praepositio „ad" translaticia vi de perveniendo usque ad finem usurpatur.

a. Translato igitur sensu exprimit praepositio, **perventum esse ad finem aliquem,** sicut eandem significationem iam in concretis rebus tractavimus. Itaque

1. legimus in H. II, 46, 13 * *timidos et ignavos* ***ad desperationem*** *formidine* ***properare;*** **erumpere ad**[1]) in A. I, 81, 12 ***eruptura*** *ad infensius servitium;* XI, 35, 6 *ad minas.* **prorumpere ad:**[2]) in A. III, 52, 3 *ad cuncta, quis pecunia prodigitur.* — **revolvi ad** in H. III, 26, 8 *ad inritum;* A. IV, 9, 3 *ad vana et totiens inrisa;* XI, 34, 2 *ad memoriam coniugii et infantium liberorum;* XVI, 18, 9 *ad vitia;* cf. A. XIV, 2, 16 ***usque ad*** *libita Palantis* ***provoluta.*** — **prolabi ad**[3]) in A. II, 10, 7 *ad iurgia;* IV, 18, 8 *ad seditiones;* XI, 17, 10 *ad superbiam;* XII, 53, 2 *ignaro domino ad id prolapsae.* **delabi ad**[4]) in A. II, 38, 27 *pudendam ad inopiam;* XV, 63, 16 *ad impatientiam.*

Tum autem cum quibusdam verbis «ad» coniungitur ita, ut id ipsum exprimat, quod verbi actione efficitur. Qua de causa saepe «ad» breviter pro tota sententia consecutiva esse videtur,

---

[1]) **erumpere in:** A. I, 28, 1 *noctem in scelus erupturam;* 36, 4 *in direptionem Galliarum;* XII, 5, 5 *in malum publicum;* 41, 9 *eruptura in publicam perniciem;* H. II, 68, 12 *in perniciem auxiliorum.*

[2]) **prorumpere in:** H. II, 73, 7 *externos mores;* A. VI, 57, 17 *scelera simul ac dedecora;* XIII, 12, 11 *stupra feminarum inlustrium;* XII, 54, 16 *necem militum.*

[3]) **prolabi in:** A. I, 31, 10 *rabiem;* III, 34, 11 * *ambitionem aut avaritiam;* cf. H. V, 22, 19 *in somnum lapsos;* A. IV, 6, 6 *in adulationem lapsos.*

[4]) **delabi in:** A. III, 63, 16 *ambitionem;* XIII, 12, 1 *amorem.*

vel potius a Tacito usurpatur, ubi alii scriptores talem sententiam ponerent.[1]) Nemo scriptorum Latinorum hunc usum frequentius sibi vindicavit quam Tacitus, qui tamen numquam in libris minoribus, rarius in Historiis, saepe in Annalibus habet. Quo pertinent verba: **procumbere ad** in A. I, 12, 1 *senatu ad infimas obtestationes procumbente,* h. e. ita procumbente, ut infimis obtestationibus uteretur. **degenerare ad**[2]) in A. XIV, 21, 6 * *nec quemquam — ad theatrales artes degenerasse*, h. e. ita degenerasse, ut theatralibus artibus se foedaret. — **frangere ad** in H. II, 17, 3 *longa pax ad omne servitium fregerat,* (cf. Hand. Turs. I, p. 122). — **corrumpere ad:**[3]) in H. I, 72, 6 *corrupto ad omne facinus Nerone*, quem locum Hand. in Turs. I, p. 113 alienis meo quidem iudicio exemplis illustrabat; A. II. 62, 7 *corruptisque — ad societatem;* IV, 10, 4 *ad scelus*, idemque in l. XIII, 21, 19 †; XVI, 18, 16 *ad indicium.* — **durare ad**[4]) in H, IV, 59, 7 *quamquam ad omne facinus durato,* h. e. ita mente duratum erat, ut nullum facinus vereretur. Cf. A. XIV, 1, 17 ***usque ad caedem*** *eius duratura filii odia.* **componere ad:**[5]) in H. I, 71, 3 *cuncta ad decorem imperii composita,* h. e. ita composita sunt, ut decori imp. essent; II, 27, 2 *ad modestiam,* h. e. ut modestiam adsumerent; A. III, 1, 15 *cunctis ad tristitiam compositis;* XIII, 20, 3 *ad maestitiam;* cf. D. 41, 2 ***usque ad votum*** *compositae civitatis.* **mutare ad**[6])

---

[1]) Cf. Pabst, Eclog. Tac. p. 329.

[2]) **degenerare in:** G. 45, 31 *in tantum;* cf. 46, 5 *nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur.*

[3]) **corrumpere in:** G. 23, 1 *quandam similitudinem vini;* H. II, 101, 3 *adulationem*, ubi v. Heraei adn.; III, 33, 2 *in libidinem ac saevitiam corruptior;* 47, 6 *spem;* A. IV, 11, 18 *miraculum;* VI, 48, 2 *barbarum;* XIV, 63, 1 *spem sociandae classis.*

[4]) **durare in:** A. I, 6, 9 *in nullius — suorum necem.*

[5]) **componere in:** D. 22, 25 *morem annalium;* Ag. 42, 9 *adrogantiam;* H. I, 54, 3 *squalorem maestitiamque;* 87, 6 *numeros legionis,* ubi v. Heraei notam; id. in A. II, 80, 5; H. I, 82, 19 *obsequium;* II, 9, 5 *maestitiam;* III, 37, 1 *magnificentiam;* 78, 7 *gratiam Muciani;* A. II, 82, 12 *ostentationem;* III, 16, 14 *hunc ferme modum;* 44, 11 *securitatem;* XIII, 25, 3 *dissimulationem sui.* Cf. H. IV, 86, 10 *in altitudinem conditus.*

[6]) **mutare in:** H. I, 50, 22; V, 8, 9; A. III, 34, 5 et 54, 25 † *melius;* IV, 6, 3 et XIV, 43, 5 *deterius;* IV, 37, 9 *paenitentiam;* VI, 23, 8 *contrarium;* 38, 19 *turpe in servitium;* XII, 12, 11 *perfidiam;* 29, 3 *superbiam;* cf. XII, 64, 1 *mutationem rerum in deterius.*

in A. VI, 42, 18 *Parthos — ad paenitentiam mutari,* h. e. Parthos ita mutari, ut eos paeniteret, idemque in l. XI, 33, 6; XIII, 9, 17 *spes eius ad metum.* Itaque in solis posterioribus Annalium libris hoc verbum cum praepositione «ad» coniunxit. — **exterreri ad** in A. III, 49, 7 *ceteris ad dicendum testimonium exterritis;* XVI, 8, 5 *ad praecavendum.* :—

2. In iis quoque, quae sequuntur, exemplis, in quibus verbo cum praepositione coniuncto indicatur, rem **transire in novum statum** sive oriri aliquid, «ad» loco sententiae consecutivae est:[1]) in A. VI, 50, 11 * *loginquitate itineris fessos ne animo quidem satis **ad obsequium coaluisse,*** h. e. ita coaluisse, ut obsequerentur; A. XV, 22, 7 *effigiesque in eo Neronis **ad informe aes liquefacta;***[2]) A. XIII, 6, 13 * *et imperatori quantum **ad robur deesse,*** h. e. quantum deesse, ut validus sit. —

3. Deinde «ad» significat **ad gradum perveniri,** cum verba praecedant, quae sunt: **efferre ad** in A. IV, 56, 7 *nondum tamen ad summum elatis* (sc. rebus Romanis). **proferre ad** in A. XII, 3, 9 *Caesar iuvenem et alia clarum insigni triumphalium et gladiatorii muneris magnificentia protulerat ad studia vulgi,* h. e. protulerat eo, ut vulgus inclinaret ad eum; XVI, 18, 3 *ita hunc ignavia ad famam protulerat.* — **tollere ad** in A. XV, 52, 11 *ad omnem claritudinem.* **extollere ad** in A. IV, 17, 13 *ad superbiam* (cf. A. XIII, 19, 16 p. 42). — **vehi ad** in A. XIV, 54, 14 † *eos ad summa vexisse.* **evehi ad** in D. 13, 3 *licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evexerint.* **provehi ad** in H. II, 75, 8 *ad summa militiae provectum;* IV, 7, 3 *ad continuas et infestas orationes;* A. XI, 6, 11 * *ad summa.* **redigere ad** in H. V, 9, 15,

---

[1]) Sed usitatius ipsi Tacito est, ut cum his verbis, inprimis cum iis, quae vocantur inchoativa, praepositionem «in» construat: **coalescere in:** H. II, 37, 14 *hunc consensum;* A. III, 38, 17 *bellum;* XI, 24, 10 † *nomen nostrum;* **adolescere in:** H. V, 7, 5 *solidam in speciem;* **evalescere in:** H. I, 80, 7 *suspitionem, crimen, tumultum;* **revivescere in:** A. XIII, 58, 4 *novos fetus;* **adcrescere in:** A. XIII, 31, 11 *partem pretii;* **excrescere in:** G. 20, 1 *hos artus;* **evanescere in:** H. V, 7, 6 *cinerem;* **ardescere in:** A. XV, 54, 7 *mucronem;* **innotescere in:** H. IV, 50, 2 *maius;* **lentescere in:** G. 45, 28 *picem.*

[2]) Cf. H. V, 7, 11 *in vitrum excocuntur;* A. XV, 64, 9 *membris in eum pallorem albentibus;* H. XIII, 31, 1 *legiones in testudinem glomerabantur;* A. XIII, 39, 14 *hostes in testudinem conglobatos;* H. IV, 20, 11 *in cuneos congregantur,* all.

defunctis regibus aut ad modicum redactis; A. VI, 22, 10 *ad semuncias redactum* (faenus). Cf. A. XI, 7, 17 *capiendis pecuniis modum* ***statuit*** — quod verbum in codice omissum Orellius restituit — *usque ad dena sestertia*, ubi fortasse pro emendatione Orellii: *modum* ***redegit*** *usque ad d. s.* scribendum est; A. XV, 39, 9 *pretiumque frumenti* ***minutum usque ad ternos nummos.*** — A. XI, 10, 22 *quis* (precibus) ***permitti*** *Meherdaten patrium ad fastigium orabant*, h. e. permitti, ut Meh. patr. ad fast. tolleretur.

Eadem praepositionis vis nobis occurrit in exemplis: A. VI, 44, 16 *lege eadem extremum ad supplicium damnatus;* XVI, 21, 10 *ad mortem damnabatur;*[1]) similiter in A. III, 49, 9 *sed arguentibus ad perniciem plus fidei fuit,* breviter dictum pro: arguentibus per crimina, quibus eum ad perniciem damnari efficiebatur. Qui locus cum proprie p. 46 commemorandus esset, hoc loco facilius explicari posse videbatur. Cf. H. I, 49, 14 *usque ad culpam ignarus;* IV, 73, 9 † *quos discordiae usque ad exitium fatigabant;* A. XIV, 15, 5 *histrionis artem exercerent usque ad gestus modosque haud viriles;* 26, 8 *usque ad servilem patientiam demissus;* de «usque in» v. p. 28 in not. 1. —

b. Non raro praepositio ita ponitur, ut **rei aliam rem addi vel ad eam pertinere aliam rem** significet, in quo usu discernimus:

1. si «ad» exprimit, **rei aliquid adiungi: adiungere ad** in A. IV, 40, 1 *Ad ea Tiberius laudata pietate Seiani — adiunxit.* **addere ad** in H. I, 72, 16 *addita ad vetus Tigellini odium recenti — invidia.* **adferre ad:** in D. 8, 25 *Crispum attulisse ad amicitiam suam; quod —;* H. I, 37, 13 † *gloriam ad principatum.* **accedere ad:** in D. 16, 2 *ad cuius summam eruditionem — cura quoque et meditatio accessit;* 36, 14 *ad summa eloquentiae praemia magna etiam necessitas accedebat.* In ceteris scriptis numquam cum praepositione, quae hanc vim habeat, hoc verbum coniungitur, (cf. p. 12; 32, ibidemque de verbo «adiciendi,» quod cum dativo construitur).

Saepius, inprimis in Annalibus atque eorum tantum in postremis libris legitur formula: **ad hoc,** quam nos simillime red-

---

[1]) Hic usus recentiorum scriptorum est, quod ex nota Nipperdeii et ex exemplis a Forcellinio collectis discimus.

dimus per «dazu,» nam ferme pro particula copulativa vel enumerativa in initio sententiae ponitur: in A. XII, 20, 5 *ad hoc reges feroces, vagos populos, solum frugum egenum* (sc. esse, imminere); 34, 1 *Ad hoc gentium ductores circumire, hortari, firmare animos;* XIII, 34, 14 *ad hoc Armenii ambigua fide utraque arma invitabant;* XIV, 24, 3; 31, 17; XV, 4, 5; 38, 13, et semel in Historiis in l. I, 6, 11 invenitur, quod simul solum exemplum est, in quo non primo loco haec formula collocata sit: *multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia et Illyrico* (sc. aderant). Cf. de hac formula, qua historici tantum et recentioris aetatis scriptores utebantur Handium in Turs. I, p. 123.[1]) —.

2. Deinde per accedendi ad aliquid notionem exprimit, **rem cum alia in communitate esse vel niti ea,** quapropter cum ea iungendam esse: **pertinere ad:** in H. I, 30, 21 † *ad nos scelerum exitus, bellorum ad vos pertinebunt;* III, 19, 11 * *expugnatae* (urbis) *praedam ad militem, deditae ad duces pertinere;* IV, 7, 9 * *pertinere ad utilitatem rei publicae, pertinere ad Vespasiani honorem;* 52, 8 * *quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant;* A. III, 22, 14 * *ad domum suam;* 48, 2 *ad veterem familiam;* IV, 8, 26 † *ut bona malaque vestra ad rem publicam pertineant.* Itaque fere non nisi in orationibus aut in sermone obliquo hanc vocem Tacitus habet. (cf. Hand. Turs. I, p. 117.)

Formulae quae sunt: **quod attinet ad** et **quantum ad** in solis minoribus scriptis inveniuntur, cum latiori orationi inserviant, quam in Historiis maximeque in Annalibus respuit Tacitus. Unum tantum exemplum extat in Historiarum l. V. 10, 8, ubi legatur: *annus — quantum ad Judaeos per otium transiit.* Formula *quod attinet* est in D. 25, 32 et Ag. 33, 23 †; *quantum ad* in Ag. 44, 8; G. 21, 11; H. V, 10, 8. —

3. Eandem vim praepositio habet, si quaedam verba sequitur, quorum sola significatione fit, ut non rem aliam ad rem pertinere sed **pertinere ex sententia eius, qui agit** exprimat. — Ita

---

[1]) Saepissime Sallustius eam habet, cuius ex Catilina Jugurthaque repetita exempla haec sunt: Cat. 14, 3; 17, 4; 21, 3; 26, 4; 30, 6; 31, 3; 8; 37, 10; 44, 6; 53, 3; Jug. 2, 2; 6, 1; 3; 17, 6; 31, 28 †; 29 †; 43, 3; 49, 4 *; 67, 1; 75, 5; 85, 4 †; 89, 5; 91, 6; 96, 2; 102, 6 †; 111, 2.

Tacitum in Annalibus usum esse videmus verbo: **trahere ad:**[1]) in A. III, 22, 17 *quod — quidam ad saevitiam trahebant*, h. e. putabant pertinere ad saevitiam eius vel saevitiae eius tribuebant; IV, 64, 6 *fortuita ad culpam;* XII, 4, 6 *fratrumque — incustoditum amorem ad infamiam;* 52, 5 *ad clementiam;* XIV, 32, 8 *ad metum;* XV, 67, 2 *ad defensionem;* 74, 9 *ad auspicium et praesagium futurae ultionis;* XVI, 1, 3 *quietis imaginem ad spem haud dubiae rei.* Similiter: **referre ad:** in D. 16, 25 *ad infirmitatem corporum nostrorum;* Ag. 5, 4 *neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit,* quem locum Kritzius et optime per *pertinere putavit* reddidit et interpretatione illustravit; 8, 10 *ad auctorem ac ducem ut minister fortunam referebat;* **in Historiis hanc vocem non reperi;** in A. II, 33, 10 * *et cuncta ad rem publicam referri*, h. e. alles werde auf den Staat bezogen, richte sich nach der Lage des Staates; 55, 15 *possetque interitus inimici ad casum referri;* idemque in l. XIV, 3, 6; IV, 57, 5 *causam abscessus — ad Seiani artes* eademque ratione in versu 7; VI, 55, 3 *causa ad matrem referebatur;* XIV, 38, 16 *prospera ad fortunam.* De alio usu v. p. 22 et inferius s. lit. e. —

4. In locis, quibus praepositio vernaculo: **in Bezug auf** respondeat, non alia fit vis eius, quam de qua iam in enuntiato illo «quod attinet ad» vidimus. Maiore enim libertate praepositioni eadem cohaerendi cum alia re notio tribuitur, quam in exemplis supra commemoratis post verba cohaerendi habere cognovimus. (cf. Hand. Turs. I, p. 106). Loci sunt: in A. I, 40, 8 *cum se divo Augusto ortam neque* ***degenerem ad pericula*** *testaretur.* **ignavus ad:** in H. I, 79, 11 *ad pedestrem pugnam;* A. II, 78, 10 *ad ministeria belli;* VI, 50, 17 *ad pericula.* — In H. V, 5, 7 ***proiectissima*** *ad libidinem gens.* **validus ad:** in G. 4, 6 et A. II, 14, 14 *magna corpora et tantum ad impetum valida;* VI, 14, 10 *ut quisque Seiano intimus ita ad Caesaris amicitiam validus;*

---

[1]) **trahere in** H. II, 20, 3 *superbiam;* 52, 6 et A. I, 62, 8 *deterius;* H. III, 33, 5 *ludibrium*; V, 13, 6 *metum*; A. III, 37, 4 *laudem Drusi*; XIII, 47, 3 *contrarium.* Etiam in hoc igitur exemplo discrimen quoddam cognoscimus, quod intercedit inter sermonem Historiarum Annaliumque et specimen habemus, quomodo Tacitus alium usum adamaverit, alium reliquerit, nam ante librum Annalium III praepositio «ad» hoc sensu cum verbo trahendi non coniungitur, neque inde ab hoc libro uno loco excepto praepositio «in» amplius reperitur.

35, 16 *haud minus validum ad exitium Macronis odium.* (Igitur Handius in Turs. I, p. 122 non bene locům in A. VI, 14, 10 interpretabatur: *ad Caesaris amicitiam conciliandam*). Atque analogiam adiectivi secutus etiam verbum ita posuit in A. XII, 40, 24 *plures per annos gesta coniunxi, ne divisa haud perinde ad memoriam sui valerent.* — **praecipuus ad:** in A. VI, 13, 11 *contra Tiberius praecipuos ad scelera increpans admonuit;* XIV, 58, 6 *Corbulonem — praecipuum ad pericula,* quod Rothius vertit: *welcher vor allen bedroht schien.* — A. I, 62, 9 *sive exercitum — **tardatum** ad proelia — credebat;* XIV, 23, 6 *ut **segnem** ad pericula, ita **infidam** ad occasiones.* — H. IV, 72, 11 *posito civium bello ad externa **modestiores.*** — H. III, 67, 1 ***Surdae** ad fortia consilia Vitellii aures.* — A. XV, 50, 8 *Natalis **particeps** ad omne secretum Pisoni erat.* A. XII, 54, 7 ***aemulo** ad deterrima Ventidio Cumano,* de quo loco v. Hand. Turs. I, p. 107.

Eadem igitur ratione expedimus locum in H. II, 97, 7 *trium legionum legati — prosperis Vitellii rebus **certaturi ad obsequium,** adversam eius fortunam ex aequo detrectabant.* Simillimum locum Nägelsbachius, qui in libro suo: Lat. Stil. p. 340 de hoc usu disputat, ex epistolis Ciceronis attulit, nam Plancius apud Ciceron. fam. 10, 8, 6 scripsit: *provinciam (habeo) paratissimam et summa contentione ad officia certantem*; ibidemque etiam alios locos comparat; accurate praeter hunc Heraeus de loco Taciteo agit, minus recte Handius in Turs. I, p. 119; Walchius in Emendationibus Livianis p. 24, Pabst in Eclog. Tacit. p. 329 qui «ad» pro «apud» esse volunt, ut sensus sit: certaturi in obsequio. Cf. denique Greef. p. 16 in nota. —

A. VI, 20, 3 *ex quis Geminius prodigentia opum ac mollitia vitae **amicus** Seiano nihil **ad serium,*** ubi Waltherus: «*nihil quod ad serium spectaret. Sic Graeci ponunt* πρός *cum accus., ut adverbii loco sit.*» — A. XI, 36, 12 *paribus **lasciviis ad cupidinem et fastidia.*** — H. I, 54, 16 *faciliore inter malos consensu ad bellum quam in pace ad concordiam.* Tamen non negaverim maiorem exemplorum partem eam quoque explicationem admittere, ut praepositionem pro dativo commodi positam esse contendatur. —

c. Cum «ad» loco praepositionis **secundum** esset, derivata significatio est de accedendo ad rem, ut nos dicimus: an eine Sache herankommen, herangehen, pro: ihr ähnlich sein. Haec

accedendi vel adferendi notio aut verbis, quibuscum praepositio ita construitur inest, aut in formulis quibusdam, quibus scriptores saepe utebantur, cogitatione supplenda est. **comparare ad** in A. XII, 18, 7 *igitur cultu vultuque quam maxime ad praesentem fortunam comparato.* **derigere ad** in A. IV, 40, 5 *principum diversam esse sortem, quibus praecipua rerum ad famam derigenda.* **dirigere ad** in D. 5, 19 *nam si ad utilitatem vitae omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt.* **accommodatus ad** in A. XIV, 62, 2 *varius sermo et ad metum atque iram accommodatus.* **flectere ad** in A. IV, 16, 12 * *sicut Augustus quaedam ad praesentem usum flexisset*, ubi Nipperdeius verbum recte vertit: *umgestaltet, gemildert habe.* — A. XII, 6, 9 * *vidisse ipsos abripi coniuges* ***ad libita Caesarum.*** — A. I, 1, 2 *dictaturae* ***ad tempus sumebantur,*** h. e. nach den Zeitumständen, prorsus eodem modo atque in A. XII, 18, 7 dictum. Cf. etiam locum in A. l. VI, 17, 2 *in tempus deligebatur* et Hand. Turs. I, p. 127. — D. 30, 30 *apte dicere pro dignitate rerum,* ***ad — utilitatem temporum.***

Tum autem in formulis quibusdam eundem usum Tacitus habet, quae sunt: **quem ad modum:** in D. 33, 7; in ceteris scriptis minoribus et in Historiis non invenitur; A. III, 55, 18; VI, 30, 13; 54, 8; XIII, 6, 4. **ad morem:**[1]) in H. V, 6, 5 *fruges nostrum ad morem;* A. III, 53, 16 † *quid enim primum prohibere et priscum ad morem recidere adgrediar;* V, 1, 12 *sanctitate domus priscum ad morem,* ubi verba *prisc. ad m.* pro adiectivo posita sunt; A. XIV, 20, 2 *ad morem Graeci certaminis,* cf. sub «secundum». **ad formam:**[2]) in H. I, 5, 16 *nec enim ad hanc formam cetera erant;* A. IV, 72, 7; VI, 23, 17. — A. III, 33, 9 *Romanum agmen* ***ad similitudinem*** *barbari incessus convertant.* **ad exemplum** in A. XII, 69, 8 *promisso donativo ad exemplum paternae largitionis;* XV, 23, 8 *certamen ad exemplar Actiacae religionis decretum,* cf. sub «secundum».

Duobus tantum locis legitur formula: **ad modum** in A. II, 37, 9 *ad hunc modum* idemque in l. VI, 14, 3, cum LXI locis, qui per omnia scripta (praeter Dialogum) inveniuntur, formula *in modum* pro ea usurpata sit.

[1]) **in morem:** G. 6, 11; 16, 4 et 25, 1 *nostrum morem;* H. II, 70, 9 *regium in morem;* A. XI, 16, 6 *in patrium nostrumque morem.*

[2]) **in formam:** A. XIII, 41, 21 *in eandem formam;* XV, 24, 2 id.; XVI, 1, 6 *in formam pecuniae.*

Ipsa praepositione **secundum** non crebro usus est. Loci sunt in G. 10, 7 *secundum impressam ante notam interpretatur;* 26, 4 *sec. dignationem;* H. III, 70, 21 * *sec. eventum proelii;* IV, 8, 2 *sec. vetera exempla;* 45, 2 *habita in senatu cognitio sec. veterem morem;* A. IV, 20, 7 *sec. necessitudinem legis;* VI, 22, 17 *sec. iussa legis.* In locis H. III, 7, 1 *post principia belli sec. Flavianos data* et A. IV, 43, 14 *ita secundum Messenios datum*, significatio praepositionis paulo amplificata est, ut sit: zu Gunsten. (Cf. Greef. p. 8.) —

Si praepositio **pro** vim habet, quam versione «entsprechend, gemäss» reddimus, semper ita intellegendus est locus, ubi legitur, rem ita evenisse quam deceret aut aliter evenisse quam expectandum esset; exempla, ubi inveniantur, cum exscribere hic non possim, breviter adicere liceat: D. 7, 4; 30, 30; Ag. 45, 16; G. 12, 7; 21, 7; 26, 2; 45, 12; H. II, 94, 14; III, 20, 6; 52, 16; IV, 33, 16; 70, 2; 80, 6; 84, 15; V, 15, 9; 53, 15; A. III, 1, 13; 2, 6; IV, 40, 30†; 72, 3; VI, 51, 11; XII, 21, 2; 24, 10; 49, 12; XIII, 28, 8; 41, 23; XIV, 21, 3; 23, 7; 49, 10; 51, 15; XV, 43, 7; XVI, 30, 3. —

Ex eodem modo usurpatur, cum quem ad modum ex re aliquid procedat dici possit pro verbis: secundum naturam rei. Loci sunt in D. 23, 9; Ag. 8, 8; 19, 7; 40, 11; 43, 8; G. 3, 17; 12, 2; H. I, 14, 12; 21, 14; 27, 16; 77, 4; 9; 79, 4; 82, 14; 90, 14; II, 9, 9; 25, 8; 55, 1; 85, 18; III, 53, 10; IV, 14, 2; 50, 17; 65, 18; 66, 8; 76, 10 †; A. I, 24, 4; 35, 7; 58, 4 †; II, 33, 14 †; 35, 7; 63, 4; 80, 2; III, 27, 5; 55, 17; 74, 17; IV, 6, 14; 27, 8; 31, 8; 43, 11 *; 46, 6; 64, 5; VI, 22, 9; 48, 8; XI, 22, 22; 25, 13; XII, 8, 4; 48, 8; 49, 10; 68, 11; XIII, 9, 4; 24, 5; 31, 4; 46, 19; XIV, 42, 4; 51, 13; XV, 2, 15; 6, 17 *; 29, 13; 35, 10; 43, 17; 44, 2; 51, 8; 67, 17 †; 70, 7; 72, 3; XVI, 6, 4; 30, 4. In hac copia exemplorum multa sunt digna, quae accuratius tractentur, quae tamen ut nimis remota a nostro proposito praetermittenda nobis sunt. — Tribus denique locis **de** locum praepositionis «ex» hoc sensu explet in formula, quam mihi ex usu forensi Tacitus amplexatus esse videtur: in A. I, 48, 11 *de sententia legati statuunt;* XII, 12, 7 *quorum de sententia petitus rex;* XV, 21, 4 † *trepidabantque gentes de aestimatione singulorum,* in oratione recta. Numquam autem in hac formula praepositione «ex» usus est.[1])

[1]) De hac formula Forcellinius in Lexic.: *Vitiose dicitur «de senatus sententia», nam debent dicere ut ex mea sententia, ex tua sent., sic ex senatus*

d. Ex eo usu, quo praepositio «ad» pro «secundum» posita est, **causalis quaedam vis** eius oritur, quam frustra Handius compluribus locis negare conatus est, itaque in Turs. I, p. 118 sqq.: *Ex ea affinitate, quae inter occasionem et causam et finis notionem intercedit, saepe factum est, ut critici huic praepositioni tribuerent vim causalem eamque per vocabulum «propter» explicarent.* Quae Dukerus contulerit exempla indicare finem, quae Drakenborchius, non notare causam, sed rei praesentiam et occasionem. Similiter p. 111 iudicat. Sed alio loco p. 126 sibi non constitit, sed contra sententiam, quam antea protulerat, formulas *ad id*, *ad hoc* de causa et fine usurpari et pro «ideo» sive «propter id» dici docuit. — Atque rem ita se habere existimo: concedendum esse idem intercedere discrimen inter praepp. «propter» et «ad», quod sit inter Germanica vocabula «Grund» et «Veranlassung», igiturque praepositionem «ad» semper externam causam indicare. Quod si Taciti scripta diligenter perlegimus, multa exempla invenimus, ubi «ad» cum multis vocabulis coniunctum causalem vim habeat, ita ut praepositionem vernacula lingua per «auf — hin» vertamus. Atque hanc ego vim eo usu, de quo modo vidimus, effici existimaverim. Nam si in A. XIV, 61, 17 * legimus *ad cuius* (Octaviae) *nutum absentis tumultus cierentur*, certe ita verba explananda sunt: secundum cuius nutum — cierentur, h. e. deren Wink gemäss, sive *auf deren Wink hin.* Aliis autem locis non iam haec significatio tam perspicue elucet: in H. II, 11, 1 *motis ad imperium eius — exercitibus*, quod Rothius reddidit: *auf seinen Befehl setzten sich die Heere in Bewegung;* IV, 49, 16 *nihil ad ea moto Pisone.* — H. II, 73, 5 *ad nomen eius Vitellius excitabatur.* Prorsus contra verum verborum sensum Handius in Turs. I, p. 101 interpretari mihi videtur, si de temporali praepositionis vi cogitat. Ita potius intellegendum est: entsprechend dem Namen des Vesp. gerieth Vit. in Unruhe, h. e. nomen Vespasiani ei tam odiosum erat, ut eo excitaretur. A. I, 74, 16 *ad quod exarsit adeo;* XI, 2, 5 *ad quod victo silentio prorupit reus*; A. II, 2, 5 *laetantes ut ferme ad nova imperia;* H. II, 36, 8 *laeto et milite ad mutationem ducum;* Handius in Turs. I, p. 96 seqq., ubi hos locos

---

sent. Item quidam dicunt: «de senatu ire» dici potius quam «e senatu», quod de eo, quo inimus, dicimus «in», «de» cum redimus. «Ex senatu eiectus» potius quam «de senatu.» Ibidem cf. exempla ex Ciceronis scriptis conlata.

commemoravit satis caute quodam modo causalem vim praepositionis concedit, cum dicat: occasionem quidem non causam praepositione indicari, neque aliam, nisi externam loci et temporis propinquitatem ea designari. *Quae vero quum saepe etiam interiorem nexum comprehendat, fieri potest, ut ea, quae causae vinculo cohaerent eodem modo exprimantur: id quod maxime scriptoribus post Augusti tempora usitatum est.* —

Ita causam praepositio continet, si cum aliis adiectivis, quae animi motum describunt, coniungitur: **pavidus ad** in H. II, 68, 20 *ad omnes suspitiones.* **trepidus ad:** in H. III, 56, 8 *ad omnis nuntios;* 70, 22 *ad haec.* **erectus ad:** in H. II, 8, 16 *ad celebritatem nominis;* A. XIV, 57, 12 *ad nomen dictatorium,* quod eodem iure ablativo exprimi potuit. Similiter in A. I, 44, 1 *Supplices ad haec,* ubi Handius in Turs. I, p. 111 recte vertit: *in Folge dessen, vel in Bezug auf,* idemque in H. II, 64, 10 *dixisse — ad primas filii sui epistulas ferebatur.* **respondere ad** in A. II, 58, 6 *ad ea Germanicus de societate Romanorum — magnifice — respondit;* XIV, 55, 1 *Ad quae Nero sic ferme respondit.* Verbum supplendum est in H. IV, 32, 7 *ad ea Civilis primo callide,* et in eiusdem libri c. 75, 7. — A. XIV, 7, 16 *ad eam vocem Nero — profitetur;* H. III, 2, 1 *Ad ea Antonius Primus — disseruit;* A. III, 46, 10 *ingens ad ea clamor,* sc. exortus est; XV, 14, 1 *Ad ea Vologeses — rescripsit;* XIII, 37, 20 *ad ea Corbulo suadet Tiridati;* I, 26, 4 *ad ea Drusus cum arbitrium senatus et patris obtenderet;* XII, 37, 11 *ad ea Caesar veniam ipsique et coniugi et fratribus tribuit;* XV, 21, 5 † *quo modo ad nutum alicuius grates, ita promptius accusatio decernitur.* — **adcurrere ad:** in A. II, 31, 8 *ad gemitum conlabentis,* h. e. dem Gestöhne des Zusammenbrechenden gemäss, auf sein Gestöhne hin; H. II, 49, 11 *ad gemitum morientis ingressi;* A. II, 7, 7 *ad famam adventus dilapsi,* ubi non recte de tempore rursus Handius (I, p. 101) cogitat, tamen ut haec interdum causali nexui similia esse addat. — H. III, 55, 11 *vulgus ad magnitudinem beneficiorum hiabat,* h. e. obstupefactum erat; A. XII, 46, 9 *cunctante ad ea Mithridate;* IV, 50, 14 * *hortari ne ad ambigua sonitus aut simulationem quietis casum insidiantibus aperirent.* — H. II, 87, 3 *ad omnis municipiorum villarumque amoenitates resistens.* H. IV, 78, 6 *Gallos pro libertate, Batavos pro gloria, Germanos ad praedam instigantes,* breviter pro: auf die Aussicht zur Beute hin. —

e. Quibusdam verbis, quae fere omnia **ferendi** verba sunt, praepositionem «ad,» quam accusativus **personae** sequeretur, saepe adiecit, quae dicendi consuetudo ita explananda videtur ac iam supra pro dativo commodi praepositionem substitui vidimus. Etiam hunc usum ortum esse ex sermone forensi exemplorum, quae apud Tacitum invenimus, natura concludi potest. Praepositionem vernacula lingua pro significatione verbi, ex quo pendet, modo per «an», modo per «auf» reddimus: **ferre ad** in H. I, 79, 1 *Initium ferendi ad Vespasianum imperii.* **conferre ad:** in H. I, 1, 5 *postquam — omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit*, i e. an sive auf einen übertragen; A. IV, 39, 7 *non prius ad deos quam ad principum aures.* **deferre ad:** in H. II, 67, 3 *arma ad tribunos suos deferebant;* etiam hoc loco praepositio pro dativo scripta est, sed nondum ille usus forensis, quantum ad hoc verbum, neque in minoribus scriptis neque in Historiis, reperitur, qui saepe in Annalibus: A. I, 11, 6 * *in civitate tot inlustribus viris subnixa non ad unum omnia deferrent;* II, 28, 10 *ad Fulcinium Tironem indicium detulit;* IV, 68, 21 *dolores suos quasi ad fidissimum deferre;* VI, 18, 11 *quem intra diem ad praetorem urbanum deferrentur;* XII, 41, 16 *quod — multo questu ad maritum defert;* XIV, 41, 5 *quod reos — ad praetorem detulisset;* XV, 51, 21. Igitur duplici sensu verba *deferre ad* usurpantur, primum pro *conferre ad*, (v. H. I, 1, 5), deinde pro *indicium alicuius rei deferre.* Ad locum in A. III, 51, 8 *ne decreta patrum ante decumum diem ad aerarium deferrentur* v. Nipperdeii explicationem, unde origo formulae sermonis forensis cognoscitur. **differre ad** uno tantum loco ita usurpatur in A. III, 52, 11 *patres integrum id negotium ad imperatorem distulerant;* singularem etiam hunc usum Nipperdeius bene comparatis aliis locis interpretatus est, nam in praepositione huius loci duae significationes sibi occurrunt, una, quae sit temporalis pro «usque ad,» altera, quae dativi loco fungatur. Conferri quodam modo potest locus in A. I, 37, 2 *largitio differebatur in hiberna cuiusque*, h. e. in tempus, cum in hibernis essent, et in hibernis largitionem fieri constituebatur. **referre ad** (cf. supra p. 22 et 63). Etiam hoc verbum non nisi in Annalibus forensi sensu positum est, nam in G. 18, 14 *rursusque ad nepotes referantur*, pro «tradantur» sive «überliefern» dicitur. Maxime autem in formula illa notissima *referre ad senatum* vel *patres* haec verba apud Tacitum leguntur, sed, quod observatione dignum est,

solis in Annalibus: in l. I, 52, 4; III, 63, 4; VI, 18, 1 *(patres)*; 22, 14; XI, 15, 1; XII, 53, 1 *(patres)*; XIV, 17, 10 *(patres)*. Accedunt loci in l. XIV, 39, 10 *cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata*, et XV, 22, 3 *ne quis ad concilium sociorum referret* (cf. p. 22). Similiter etiam **reicere ad** scriptum esse invenio in A. I, 26, 12 * *novum id plane, quod imperator sola militis commoda ad senatum reiciat*; 47, 8 * *simul adulescentibus excusatum quaedam ad patrem reicere*. —

f. Restant denique pauci loci, quibus «ad» cum neutro genere adiectivi coniunctum formulam efficit, quae pro adverbio dicatur.[1]) Apud Tacitum duae tantum eius modi formulae hac praepositione componuntur, quae sunt: **ad extremum**, quae de tempore tantum ab eo usurpatur, et **ad postremum**, quae et de tempore et de enumeratione ponitur; illam legimus in H. I, 46, 19 *ad seditiones et discordias et ad extremum bella civilia ruebant*; III, 22, 21 *aquilam Atilius Verus — multa cum hostium strage et ad extremum moriens servaverat*; hanc in H. I, 39, 10 *sive — seu — ad postremum vel odio*; II, 27, 16 *ad postremum Valens — perfidiam suspectabat*; IV, 16, 17 *ad postremum gubernatores — trucidant*; A. II, 45, 19 * *ad postremum eiectis Romanis*; XIII, 22, 4 *variis mox artibus elusus*, ***ad postremum*** *in urbe retentus est*; 46, 17 *deicitur familiaritate sueta*, ***post*** *congressu et comitatu Otho et* ***ad postremum*** — *provinciae Lusitaniae praeficitur*; XVI, 21, 1 *Trucidatis tot insignibus viris ad postremum Nero virtutem ipsam excindere concupivit*. — De his atque similibus formulis cf. Handium in Turs. I, p. 131, de singulari quadam significatione vocis *ad postremum* maximeque adverbii, quod est *postremo*, cf. Böttícherum in Lex. Tac. p. 151.

De collocatione praepositionis supplementum.

In minoribus scriptis Historiisque raro tantum praepositionem inter adiectivum vel pronomen et substantivum inseri iam Wölfflinus in Philol. XXVII, p. 129 demonstravit. Quod etiam collocatione praepositionis «ad» confirmatur.

---

[1]) Innumeris autem locis adverbium per praepositiones «ex, in, per,» quae cum neutro adiectivi coniunguntur, circumscripsit, cf. Wölfflin. Philol. XXVI, p. 146.

Nam quod ad eam collocationem, qua adiectivum praecedat, deinde «ad» cum substantivo sequatur attinet, in minoribus libris omnino non reperitur, in Historiis uno tantum loco, qui est in l. IV, 83, 21 *aliasque ad curas animum vertere,* ibique ea tantum causa, ut forma *adque* vitetur. Contra in Annalibus persaepe praepositio interponitur et, ut in universum dicamus, uni loco Annalium, in quo interposita sit, tres fere respondent, ubi vulgarem collocationem scriptor praetulerit. Sed in singulis etiam libris videre licet, quam Tacitus interpositionem in prioribus libris amaverit, in posterioribus libris ad vulgarem collocationem sensim redierit. Loci sunt: in A. I, 37, 8; II, 21, 4; 38, 27; 60, 5; 16; 61, 9; III, 7, 2; 16, 8; 24, 11; 31, 8; 34, 18; 30; 53, 16 †; 55, 14; 70, 4; IV, 56, 5; 66, 7; 67, 16; V, 1, 12; VI, 3, 5; 29, 9; 38, 2; 44, 16; 56, 9; XI, 10, 22; 16, 9; 18, 12; XII, 44, 13; 57, 5; XIII, 17, 18; in l. XIV non reperi; XV, 1, 5; 50, 24; 53, 18; 73, 14; neque in l. XVI ullus locus extat.

Contra numquam substantivum praemisit, deinde praepositionem cum adiectivo addidit, ut exempli causa in A. III, 10, 10 fecit, ubi verba sunt: *iudice ab uno;* cf. Nipperd. ad h. l.

Inter pronomen et substantivum saepius praepositionem inserebat, quod in Dialogo in sola formula: *quem ad modum* fecit: D. 33, 7; eandemque in A. III, 55, 18; VI, 30, 13; 54, 8; XIII, 6, 4. Duobus Historiarum locis praepositionem in medio posuit: in l. III, 9, 14 *has ad copias;* V, 6, 5 *nostrum ad morem.* In Annalibus loci sunt: in l. III, 16, 8 *nostram ad iuventam;* XII, 63, 9 *hos ad portus;* XIII, 34, 17 *illud magis ad servitium;* XIV, 52, 11 *quem ad finem.* Igitur in Annalibus quoque raro tantum hic usus invenitur. Numquam pronomen, quod est *is,* praepositioni anteposuit, de quo iam supra p. 50 commemorandum erat. Cf. exempla in H. II, 73, 5; III, 9, 14 *ad id bellum*; A. XV, 56, 8; 66, 8 et multa alia. —

Non raro praepositio in Annalibus inter gerundivum verbi et substantivum collocatur, quod numquam in ceteris scriptis fit: in A. I, 64, 20; II, 6, 12; III, 63, 15; IV, 48, 12; XII, 8, 2; 14, 4; XIV, 5, 2; XV, 58, 7; quod vero huic collocationi contrarium sit, ut primum locum teneret substantivum et praepositione in medio collocata gerundivum sequatur, libri Tacitei non habent.

Numero pauci omnesque ex Annalibus desumpti sunt loci, in

quibus genetivus, qui supplendae substantivi notioni inservit, praecedat praepositionem substantivumque ipsum: in A. IV, 43, 10 * *annalium ad testimonia;* 72, 7 *quorum ad formam;* VI, 20, 7 *Parthorum ad misericordiam;* XII, 31, 16 *peditum ad munia;* XIII, 6, 10 * *militiae ad labores;* XIV, 61, 17 *cuius ad nutum.*

Multo magis contra usum scriptorum et ex more poëtarum repetita est ratio dicendi, qua primo loco collocatur substantivum, quod praepositione excipiatur genetivo in fine posito: in A. III, 72, 5 *ornatum ad urbis,* ad quem locum Nipperdeius similia contulit ex aliarum praepositionum usu apud Tacitum et ex usu poëtarum; VI, 43, 3 et XII, 11, 13 *ripam ad Euphratis;* XII, 51, 9 *ripam ad Araxis.* Anastrophae exempla, nisi fortasse huc referre vis locos modo adlatos nulla apud Tacitum inveniuntur. (De anastropha aliarum praepositionum cf. Wölfflin. in Philol. XXV, p. 116; Greef. p. 12; 17 adn. 1; p. 6 adn. 2 et p. 36.)